


WIDENER LIBRARY
HX JNPN B


VE RI TAS
HARVARD COLLEGE
LIBRARY
FROM THE LIBRARY OF
KONRAD VON MAVRER
OF MVNICH
THE GIFT OF
ARCHIBALD CARY COOLIDGE
— CLASS OF 1887 —
ASSISTANT PROFESSOR OF HISTORY
1904



IDEA
HIERARCHIÆ ROMANÆ,

QVALIS

SÆCULO XIII IN SCANDINAVIA PRÆSERTIM EXSTITERIT, GESTIS LEGATIONIBUSQVE GUILEELMI SABINI ILLUSTRATA.

COMMENTATIO HISTORICA,

QVAM

PRO SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS
RITE CAPESSENDIS

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI
SUBMITTET

HECTOR FRID. JANS. ESTRUP,

RESPONDENTE ORNATISSIMO

BALTH. MÜNTER,

STUDIOS. THEOLOGIÆ.

DIE 6. JAN. MDCCCXVII.

HAVNIÆ.
TYPIS *H. F.* POPP.

Hoc opusculum, qvod exqvisita eruditione et gacitate censoribus se egregie probavit, dign judicat Facultas Philosophica Universitatis Hav ensis, qvod ad summos in Philosophia hono obtinendos publicæ disqvisitioni subjiciatur.

Havniæ Cal. Dec.
a. MCCCXVI.

B. Thorlacius,
p. t. Decan. Fac. Phil.

VIRO DOCTISSIMO,

MAG. PETRO ESTRUP,

PATRI OPTIMO,

HUNCCE LIBELLUM,

JUSTÆ PIETATIS TESTEM,

SACRUM ESSE

JUBET

FILIUS.

CONSPECTUS ARGUMENTI.

PROLEGOMENA.

divina auctoritate firmari ignes coelitus petitos ad animos civium admoveant, sufflent, alant, qvo illi demum, quæ sibi sit origo coelestis divinaque sors, mente et animo percipientes ad veram salutem recta via pergant? —

Augusta hæc et sancta fingitur idea, qvam per decursum sæculorum civitas mentalis qvæqve bene constituta exprimere studeat. Qvam prope autem vera rerum facies, qvalis tempora prisca novissimaqve lustranti ob oculos versatur, ad imaginem mente conceptam accedat cernere plurimum sane referre debet philosopho, cui finis bonorum in animo est. Qvod si mæstus sæpissime reverterit ille a comparatione instituta, dum res eosdem prorsus non ducat colores atqve imago; contemplatio tamen non poterit non admirationem variosqve sensus ipsi movere, cum viderit, qvemadmodum hierarchia christiana et qvidem romana, qvæ animos una maxime convertit, qvercus instar proceræ firmæqve solo et semine sacro enata radicibusqve arte diffusis succum undiqve trahens adeo in ævum creverit, ut ramis ex ingenti trunco protrusis orbem fere amplexa tempestatibus civilibus

parem se gereret, qvin easdem coerceret a). Verum qvem fugiet arborem ad tantum fastigii provectam multas plantas generosiores, qvæ ad radicem ipsius virescere auderent, suffocasse, multis deniqve tutam sub umbra pacem conciliasse? —

---

a) Ut in Græcia olim oracula Pythiaqve Delphorum inprimis in rebus gentium moderandis insigni auctoritate valebant temporum conversionibus ad silentium tandem redactæ, ita vati Romæ christiano maxime factum. Per medium ævum, cum res civitatum internæ et externæ etiamnum fluctuarent, cardine opus erat, in quo cunctæ res verterentur et qvodammodo consisterent. At ubinam tandem cardo ille potius tenendus qvam Romæ antiqvæ et sacrosanctæ, cui præsidere vicarium Christi et arbitrum orbis christiani multitudini sensim persvasisset superstitio prudentia artibusqve sacerdotum ac rebus secundis sustentata. Neqve non permanebat sancta reverentia, qva christiani sedem apostolicam suspicere consveverant, donec sensus veri et humanitas eo pervenerant, ut fallax appareret et lubricum fundamentum, in qvo nimia moles erat locata, ac intelligeretur, qvantas jam attulisset calamitates ac minari pergeret.

At qvo stirpi propior, eo densior ramus. Etsi mirabile visu easdem nimirum septemtrionis gentes, qvarum vultus Romanos terrarum dominos tremefecerat, domino Romæ spiritualibus armis accincto subinde manus dedisse; minime tamen diffitendnm pontifices Romanos neqve *temporibus remotissimis* Scandinaviam æqve ac plerasqve Europæ regiones ad terras obedientiæ referre potuisse, neqve *imperio tam potenti* et *perenni* tenuisse. Argumentis parco prolixioribus, qvæ seqvens narratio suppeditabit; verum exempla qvædam huc facientia subjicere par est. Conferantur itaqve duæ epistolæ *b*), qvas ad regem Sveciæ dedit ille idem Gregorius VII, qvi Henricum IV imperatorem pedibus proculcabat. Ulterius procedatur ad illud tempus, cum ad fastigium pervenisset imperium papale moderante Innocentio III, pontifice omnium celeberrimo, qvi his verbis dignitatem sedis apostolicæ jactavit: "ad firmamentum cæli duo magna luminaria fecit Deus i. e. duas instituit

b) Lagerbring Svea-Rik. Histor. II. p. 60. cfr. Pagii breviar. pont. Roman. II. p. 451.

dignitates; sed illa, qvæ præest diebus ɔ: spiritualibus major est, qvæ vero carnalibus minor, ut qvanta inter solem et lunam, tanta inter pontificem et regem cognoscatur differentia,, c). Legantur contra litteræ ejusdem pontificis ad septemtrionem missæ, unde pateat, qva inter nos potestate valuerit. Hierarchia deniqve, cùm in Europa australi occidere cœpisset, in boreali a vertice propius abfuit.

Breviora qvidem per se erant brachia paparum, qvam ut a Capitolio inde ad Heclam et Arcton projicerentur. Qvod autem vetus illa Roma per proconsules proprætoresqve et legiones erat molita, id postea multo facilius per legatos pontificios et fulmina interdictorum tentatum. Legati sedis apostolicæ qvoqvo gentium emissi voces circumferebant papales eodem consilio eâdemqve vi et ratione, qva ipse papa. Ii erant ministri, in qvorum fidas manus dominus gravia tela securus deponere posset, qvæ si in ipsum temerarie intenderent, in corpus suum torqverent. Qvod

c) Epist. Innocentii III. ed. Baluz (I, 401) p. 235.

si qvis aliter judicaverit, parum teneat necesse, qvomodo legati eadem via, qva papis consultum irent, sua qvoqve commoda curaverint; neqve juste perpenditur, qvotusqvisqve legatus solio Petri, cui sedulam operam præstiterat, occupato ipse de rebus bene gestis uberes fructus perceperit. Exemplum si velis ex ipsis Scandinaviæ rebus, Hadrianum IV, papam magni nominis, nunqvam pœnituisse putes, legatum se Nicolaum Breakspear inprimis præsidio fuisse incunabulis hierarchiæ borealis.

Prudentia et cautio raro defecit istos nuncios, quibus consilia et negotia Romæ erant commissa; id qvod valet præsertim de legatis in septentrionem missis, quibus quippe papa difficilius posset præsenti numine opitulari. Sed rarius ornati fuerunt iidem honesto et liberali studio, qvo saluti rerum publicarum et ecclesiasticarum prospexissent; "potius autem versati, teste Johanne Saresberiensi, ac si ad Thebas in facinus excitandas Megæra ab inferis mitteretur:"

Qvo fonte derivata clades
In patriam populumqve fluxit.

Non opus est ad exempla aliena recurrere d), cum abundet historia Scandinavica justis de avaritia legatorum apostolicorum querelis. Crimina legantur in Fidentium, cardinalem et legatum sedis apostolicæ, a Guillelmo, abbate monasterii Ebbelholtensis, conjecta e), ut taceam de Marino de Fregeno f) aliisque multis ejusdem notæ legatis.

Legationes apostolicæ in hierarchia constituenda utiqve ponderis tanti fuerunt, ut accuratior earundem enarratio, qvoniam nuncii pro munere sibi delato multifariam cum republica et clero rem haberent, veram hierarchiæ faciem per varia sæcula conspicuam

---

d) Videatur v. e. epistola Alienoræ, reginæ Angliæ, socordiam conqverens, qva papa ejusdemqve legati regno captivitate Richardi turbato subveniebant. Rymeri Act. public. I. p. 24. (edit. tert. Hagæ Comit. a. 1745) cfr. cavillationes coævi Johan. Saresberiens. Policratic. de nugis curial. l. v. c. 16. (ed. Lugd. Bat. an. 1595) p. 269.

e) Pontoppidani annal. ecclesiæ Dan. Dipl. I. p. 489. sqq. cfr. Münter Magaz. für Kirchengesch. u. Kirchenrecht Nordens I. p. 34.

f) Wallin Gothländska Samlingar I. 136. sq.

reddat. Unde qvidem factum, ut imaginem hierarchiæ qvalis sæculo XIII in septemtrione præsertim fuerit, pro virili adumbraturus ad enarranda gesta Guillelmi episcopi Sabini accedere non noluerim. Id qvod e re mea tanto potius judicavi, qvod Münterus, celeberrimus rerum ecclesiæ nostræ scriptor, facinora legationesqve illius viri digna censuit, quæ diligentius examinarentur *g*) quodqve res disserendæ, uti postea docebitur arctius cohærere habitæ sunt cum disqvisitione paulo obscuriori de servitute inter Scandinavos abolita.

Argumentum, qvod tractandum sumsi, commodissime in duas abit sectiones concilio magno Lugdunensi annoqve MCCXLV distinctas, qvarum altera res a Guillelmo gestas ante concilium supra dictum succincte exponens, si non aliena minus propria tamen videbitur; altera vero et nobis gravior visa legationes, qvas Guillelmus noster post concilium suscepit, diligentius persequetur.

---

g) Mag. f. Kircheng. Nord. I. p. 107. Ubi exstant etiam primæ lineæ historiæ legationum Guillelmi Sabini.

2.

Singulæ species vitæ humanæ et viventium habitus momentis ante actis fingi solent. Ut herba variis, quibus circumdatur, rebus varia jam læta effloreścit, jam tristis marcescit, moxque his mox illis inducitur formis, ita ingenia qvoqve varia variis finguntur. Quod si penes nos esset in singulis animadvertere, quomodo habeant ingenia, cur ea potissimum ratione nec aliter, qvid eo tetenderint nec alio, multa sane in manifesto essent, quæ et in nobis ipsis et in aliis tecta miraqve videantur. Qva de causa dolendum certe qvod de natalibus M. Guillelmi et educatione et prima juventute tam parum constat, ut ne de patria qvidem nec de nomine gentis inter auctores conveniat, qvorum alii a) eum e Pedemontana regione, alii b) ex Sabaudia oriundum ferunt.

---

a) v. c. Finnus Johanneus: histor. eccles. Island. I. p. 233. Qvi qvidem auctor, ubi Guillelmi in patria facinora relinqvit, sæpe errat.

b) v. c. Ciacconius: gesta pontif. et cardin. (Romæ 1601) p. 568. Ughelli Ital. sacr. II. p. 152. Spondani contin. annal. Baron. I. p. 266.

Cum vero anni juveniles congruant cum eo tempore, qvo habente solium Petri Innocentio III, forti hierarchiæ propugnatore, ventum erat ad Hildebrandismum re vera exercendum, non est quod dubitetur, qvin Guillelmus munera ecclesiastica obiturus mature adeo placitis fuerit imbutus, qvibus spargendis et confirmandis strenuam dehinc daret operam. Ut mos seculi ferebat, ordini monastico fuit adscriptus, et qvidem severæ illi Cartusianorum regulæ, qvam lubens, ut videtur, sibi delegit *c*). Neqve tamen amore sui ordinis tam cæcus erat vir prudens, ut qvid in aliis institutis monasticis præclarum esset et ecclesiæ rebus utile, sperneret negligeretqve. Recentem prædicatorum congregationem cunctis viribus et domi et in legationibus adjuvabat †). Sunt etiam qvi narrent

---

c) Vid. Mabillon: anal. vetet. nov. ed. p. 483. cfr. Morotii theatr. chronol. ordin. Cartus. p. 63.

†) Observandum vero Cartusianos, qvia ordo suus tanta simplicitate et perfecta castitate judicaretur, ut ceteris monachis mendicantibus etiam liceret eandem *absqve dispensatione*

Gregorio IX illum multis svasisse, ut Dominicus; prædicatorum pater et institutor, in numerum Sanctorum ecclesiæ romanæ adsciscerétur d).

Guillelmum pro ratione illius ævi doctum habitum esse et, ob singularem multarum rerum peritiam, idoneum, qvi majoribus provinciis præficeretur, testantur litteræ paparum commendatoriæ e), atqve fidem faciunt studiorum documenta, qvæ inter legationes edita sunt. Qvod autem inprimis nobis persvadet hominem ingenii dotibus æqve insignem fuisse ac copia notitiæ utilissimæ, hoc est, qvod a tribus pontificibus, Honorio III, Gregorio

adire, majori æqvitate animi novos fratres in primis mendicantes ferre potuisse cfr. histoire du clerge seculier et regulier. Amsterd. 1716. T. II p. 240.

d) Vid. Ciacconii gesta pontif. et card. p. 568 cfr. Allgemein. Hist. Lexicon. Leipz. 1732. sub art. Guillelmi.

e) v. c. epistola Honorii III commendatoria, qva eum in Livoniam abiturum proseqvitur et laudibus effert vid. Gruber origin. Livon. sacræ et civil. cum sylva Document. p. 265. nr. 43.

IX et Innocentio IV, dignis omnino qvi præsuli vel illustrissimo succederent, gratiâ, fiducia ac honoribus colebatur; papæ, quippe id agentes ut στῦλοι imperio suo adderentur, ministros caute admodum et acute circumspiciebant. Ab Honorio III Guillelmus amplo munere Vicecancellarii ecclesiæ romanæ anno 1220 ornatus est *f*); cui vero cum usque ad ætatem Clementis V adjuncta esset cura bibliothecæ pontificiæ *g*), negotia viro docto maxime opportuna profecto ei data fuerunt.

Honorius III vicecancellarium suum, cui bene cupiebat, ad ampliorem dignitatis gradum aut largiorem saltem producere studens jura capitulorum tentare non recusavit, qvin invitis canonicis Mutinensibus et inscio archiepiscopo Ravennati in episcopatum Muti-

---

f) Ciacon. gest. pont. p. 546. Vicecancellarium eodem loco habitum esse ac cancellarium, dignitatemqve hanc sedis apostolicæ præcipuam fuisse post pontificalem Pagius censet. Breviar. pontif. roman. III p. 238.

g) Glossar. Du Fresn. sub voc. Bibliothecar. eccl. rom. cfr. Onuphrii Panvinii not. ad Platin. vit. pont. p. 63.

næ dilectum filium a. 1222 ingereret. Hinc semina discordiarum, qvæ paucæ non erant Guillelmo, dum episcopatui præerat, cum canonicis Mutinensibus ab archiepiscopo Ravennæ instigatis *h*), qvæqve in dubio relinqvunt, num major in Guillelmo fuerit justi sensus, an obstinatum lucri studium. Qvæ lites atqve negotia cumulata eo haud dubie rem perduxerunt, ut Guillelmus episcopi munere, qvo per decennium fere functus plerumqve tamen, cum legationes apostolicæ avocarent, per Guibertum vicarum, a. 1233, Gregorio IX pontifice, sponte sese abdicaret.

A seqventi narratione haud erit alienum observare, Fridericum II, imperatorem fortemqve pontificum adversarium, ut initio imperii clerum multis modis sibi conciliare vellet *i*), ita Guillelmo Mutinensi grata qvoqve fecisse, cui non solum privilegia sedi Mutinensi a patre concessa confirmaret, verum

---

h) Ughelli Ital. sacr. II p. 153 sq., ubi exempla rixarum ejusmodi laudantur v. c. de eqvo intrantis episcopi certisqve epulis, qvæ canonicis dari solebant.

i) Schmidt Gesch. d. Deutschen III p. 3 sqq.

etiam castrum Pontis in detrimentum ecclesiæ a Mutinensibus et Ferrariensibus destructum reædificare permitteret *k*).

At ex hisce diverticulis ad legationes Guillelmi exponendas redeundum nobis.

3.

Episcopum Mutinensem itaqve a munere suo episcopali ad legationes administrandas nunquam non avocatum ad littora maris balthici primum sequamur *a*). Trans Vistulam illas, quas lambit Duina, oras incolebant gentes feræ qvidem sed usu libertatis gaudentes, donec sacro christianorum furore nondum perdomitæ nec animis fractæ in servitutem iniqvam erant redactæ. In qvibus ad sacra christiana convertendis, complures jam

k) Ughelli Ital. sacr. l. c.

a) Nos in his pro summa rerum tractandarum brevi tantum versamur; qvi fusiorem velit narrationem, adeat Gruberum: origin. Livoniæ sacræ et civil. Gadebusch Livländisch. Jahrbücher I, I. Arndt Liefländisch. Chronik II. Merkel die Vorzeit Lieflands & Suhm Historie af Danmark. IX p. 485. 508 sqq. 527 sqq. cfr. Histoire de l'ordre teutoniqve par un chevalier de l'ordre I p. 82 sqq.

apostoli, Meinhardus, Bertholdus aliiqve felix studium collocaverant; nullus autem tanta cum fortitudine tantoqve consilio huic rei prospexerat, qvanta Albertus, magnus Livoniæ episcopus, qvi ordinem fratrum militiæ Christi de Livonia, ensiferi qvi dicuntur a. 1202 instituebat *b*). Jam diu eqvis velisqve certabat Albertus, atqve pontifices romani feros Livonum Pruthenorumqve mores tetris coloribus depingentes *c*) mox cohortando, mox veniam peccatorum condicendo multa fidelium millia ad labarum convocabant, utpote in septemtrione Christo mactare bonum opus esset tam dignum laude divina qvam impium hæreticorum Saracenorumqve sangvinem profundere. Jam dudum papa Cistercïensibus et deinde Dominicanis præceperat, ut in vinea Domini illic plantata operam locarent, cum Albertus, qvo majori vi et auctoritate conversioni incolarum instaret ac pacem et con-

b) Gruber orig. Liv. p. 22. not. c. Merkel die Vorz. Liefl. I p. 352.

c) cfr. epistol. Honorii III in accessione ad recensionem bullarii Celsii ed. Porthan p. 9-11 et bullarium Celsii Sveo-Goth. p. 67. nr. I.

cordiam revocaret, Romam mittere decerneret, qvi legatum sedis apostolicæ sibi posceret.

Qvare Honorius III Guillelmum episcopum Mutinensem, cujus, ut ipse scribit *d*), honestatem vitæ, eruditamque sollertiam et plum, qvo ad negotia sacra ferebatur, studium dexteritatemqve spectatam haberet, cum Mauritio, nuncio Alberti. in Livoniam ire jussit litterisqve commendavit et qvidem a. 1224 *e*). Omnes, Dani, Teutonici et indigenæ

---

d) Gruber orig. cum sylva docum. p. 265 nr. 43.

e) Gruber p. 171. not. aa) Arndt Liefl. Chron. II p. 7. Sunt omnino, qvi legatum ante annum 1225 in Livonia non adfuisse scriptum reliqverint Gadebusch. Livländ. Jahrbücher I, I. p. 184. Snhm. IX p. 485; qvorum argumentum præcipuum bullâ nititur, qva Honorius III Guillelmum legatum commendat (Gruber. 265 nr. 43), "qvippe qvæ, II calend. Jan. a. 1224 edita, a 1225 et qvidem vere hujus anni eundem ad Livoniam primum pervenisse monstret (Suhm. IX p. 508)..." Incertus sententiæ tamen hæc ex altera parte monerem: 1) Fieri qvidem potuit, ut Guillelmus prius iter ingressus sit, qvam epistola papæ ad Livones daretur. Ita nimirum, ut hoc utar, litteræ Innocentii IV, qvibus idem legatus Norvegis posthac commendatur,

legatum venientem honorifice læteque exceperunt, qvem et judicem vererentur et rerum

---

diem III calend. Nov. et id. Nov. a. 1246 adscriptam habent (Raynaldi annal. eccles. (ed. Lucæ. 1747) II p. 358), at docet tamen epistola, qva Guillelmus Hugoni Cartusiæ priori valedicit d. I cal. Dec. a. 1244 (Morotii theatr. chron. ord. Cart. p. 63), iter tum jam esse cæptum. 2) Decretum deinde d. sexto id. Januar. 1225 (ex registro Osiliensi inter dipl. Langebek. mss. cfr. Suhm IX p. 511) qvo Hermanno episcopo Lealensi nomen permittitur episcopi Tarbatensis, Guillelmum ante vernum tempus a. 1225 saltem Rigæ adfuisse indicio est. 3) Wallin Gothländ. Samlingar I p. 241 sq. mandatum commemorat Guillelmi de ecclesia S. Jacobi Wisbyensi inter episcopum Rigæ et Lincopiæ controversa pridie nonar. Julii a. 1225 Wisbyæ exaratum. (Vidimus hujus edicti ab archiepiscopo Rigensi et episcopis Osiliæ et Tarbati transscriptum inter acta Wisbyensia v. Wallin l. c. conditum est. Exemplar, qvod ipse in diplom. Langebek. mss. pervidi, annum datæ epistolæ adscriptum non habet). Sed multæ transactiones multaqve itinera, qvæ apud Gruberum legi possunt, abitum legati in Gothlandiam præcedunt tempore; unde colligi posse mihi videtur, Guillelmum jam diu ante æstatem

suarum adjutorem fore sperarent, maxime vero Dani, captivitate Valdemari adflicti, pro

---

a. 1225 in Livonia versatum fuisse. 4) Auctor chronici veteris Livonici, qvod litteris mandavit Gruber, (sive Henricus Lettus sive alius qvis, scriptor tamen coævus et fide dignus (v. Gruber præfat. p. 2 sqq.) temporum rationem hanc seqvutus esse videtur: *Æstate a.* 1224 Guillelmus legatus Rigam venit multaqve deinde itinera in diversas regiones instituit. *Autumnali tempore ejusdem anni* papæ vindicat ille terras, de qvibus inter Danos et Teutonicos certabatur. *Ineunte a.* 1225 denuo complura itinera ingreditur. *Qvadragesima Domini a.* 1225 Rigam reversus concilium celebrat Rigense. *Tempore æstatis h. a.* Gothlandiam petit et Osiliensibus bellum inferri jubet. Hæc annalista Livonicus. Qvoniam vero exstant decreta Guillelmi *Livonica* a mense Decembr. a. 1225 ad exitum Maji a. 1226 (Gadebusch. I, I. p. 189 not. p. 190 sqq. Suhm IX. p. 530 sqq.) necesse omnino statuatur e Gothlandia eum in Livoniam reducem factum esse. Si authenticum deniqve nec (ut Gadebusch perhibet Livl. Jahrb. I, I p. 184. not. m) corruptum illud Guillelmi mandatum die Benedicti a. 1226 prædicatoribus Lubecæ editum, qvod Dreyer (Einleit. zur Kenntnisz lübeckischer Verordnungen I. p. 229. 2.) laudat,

eæ, qvæ inter papam et regem suum intercedebat, amicitia †). Guillelmum vero partium suarum minime studiosum habuerunt hi, qvos sævos et injustos terrarum gentilium occupatores potius qvam sinceros fidei propagatores judicaret ††). At qvis etiam neget Albertum Rigæ episcopum et præsulem Teutonicorum virum callidum fuisse!

Guillelmus Mutinensis, cum lites alio modo transigi paxque restitui nequiret, provincias, de qvibus inter Danos et Teutonicos disceptatum erat, Viriam, Gerviam, Rotaliam, Harriam et Maritimam, utrisqve, volentibus nolentibus, abjudicavit et in fidem

merito conjicitur Guillelmum Rigâ Lubecam a. 1226 nave vectum esse; id qvod eo fit probabilius, qvod tunc temporis jam cum Rigensibus Lubecæ multum erat commercii, qvodqve Holzete (Holsatia Suhm. IX. p. 485) in bulla Honorii III commendatoria inter provincias *Guillelmo* legato traditas nominatur.

†) Gruber orig. p. 172 Suhm. IX. p. 509. cfr. p. 527.

††) Cfr. Annalistæ vet. effatum apud Gruber p. 178.

potestatemqve pontificis romani accepit *f*). Nescio sane, an papæ in desideriis fuerit, ut miseros illarum regionum incolas servituti et Danorum et Teutonicorum eripiendos in libertatem civilem vindicaret. Nil qvippe legatus inscio papa patravit. Litibus itaqve secatis potius qvam compositis terminisque inter singulas ditiones constitutis vir pontificius Rigam convocavit magnum conventum, ubi decreta concilii Lateranensis qvarti promulgavit et additamentis necessariis auxit *g*).

Post multa itinera religionis causa suscepta Guillelmus Gothlandiam periit, ubi ecclesiam St. Jacobi Wisbyensem a mercatoribus Livonicis qvippe conditam episcopo Rigæ cum episcopo Lincopiense contendenti vindicabat *h*). Aliis præterea rebus v. e, decimis,

---

f) Gruber p. 175 sq. Merkel. d. Vorz. Liefl. I, p. 422.

g) Gadebusch. I, 1. p. 195.

h) Wallin Gothl. Saml. I. p. 241. sq. Celsii bullar. Sveo-Goth. p. 61. cfr. Spegel Kyrkiohist. II. p. 195. Suhm. IX. p. 532 vitiose nominatur ecclesia S. Mariæ pro ecclesia S. Jacobi.

solvendis i) rite dispositis, legatus humanitatis christianæ amantissimus adversus incolas Osiliæ prædabundos, qvi oras Scandinaviæ depopulati miseros captivos in servitutem vendidissent, in Gothlandia crucem prædicari jussit k).

Guillelmum tum etiam Erico Blæso, juveni Svecorum regi, litteras tradidisse Honorii III, qvibus hic, rege et regno in fidem receptis, iis, qvi contra faciant tranqvillitatemque Sveciæ perturbent, excommunicationem minatur †), atqve legatum super tali causa multa clero præsertim restituisse *Dalin* opinatur l). In confesso est utiqve Sveciæ tunc temporis, si unqvam, auctoritatem, qva regis vires labantes reficerentur, externam opus fuisse et hierarchiam in ea regione adhuc cum republica certasse de juribus, qvæ sensim sibi arrogare vellent ecclesiastici et hierarcha ro-

---

i) Vid. accession. ad bullar. Celsii p. 21 sq.

k) Gruber orig. p. 178.

†) Celsii bullar. p. 61 nr. 23.

l) Geschichte Schwedens (vert. Benzelstierna et Dähnert) II. p. 150. cfr. Münter Mag. I. p. 185.

manus, v. c. de jure episcopos eligendi et electione juxta decretum pontificium instituenda; de censu auctore Nicolao Breakspear m) sedi apostolicæ pendendo; de jurisdictione ecclesiastica; de bonis ecclesiarum vacantium, qvæ rex deprædari et qvovis modo minuere auderet n). Qvibus de causis Honorius III regem jam monuerat: "ne contra se iram provocaret ejus, qvi regna transfert, spiritusqve aufert regum". Attamen opinio, qvam habet Dalin, non solum argumentis certis firmatur, sed ne verisimilitudinem qvidem præ se fert, siqvidem ex epistola commendatoria, qva Guillelmum abeuntem papa ornavit, plane intelligitur provincias diserte nominatas, Livoniam scilicet, Holzeten, Esthoniam, Semigaliam, Samblandiam, Curoniam, Viriam, Gothlandiam nec non Burgundomlinam legato impertitas fuisse nec adeo Scandinaviam integram o). Guillelmus a. 1226 in Livoniam reversus multis decretis porro curavit, ut turbæ rei christianæ perniciosæ in posterum

m) Cfr. Spitler von der ehemalig. Zinsbarkeit der nord. Reich. an d. römisch. Stuhl p. 51 & 58.
n) Bullar. Celsii p. 57-62.
o) Gruber orig. cum sylva doc. p. 265. nr. 43.

averterentur *p*). Sed non tantum de rebus externis ecclesiæ regundis optime fuit meritus, verum etiam de incrementis saluti ejusdem internæ adferendis. Sunt certe, qvibus mirari succurrat, qvod gentibus mare balthicum accolentibus, qvarum linguæ æque esset ignarus ac feritatis morum impatiens, docendo et in conventibus sacris verba faciendo divinas res tradere piaque earundem studia acuere potuerit *q*). At non est, quod mirum videatur, Albericus si consulatur. Qvi nobis auctor est *r*) Guillelmum vi et fortitudine parum profecisse, sed ingenii viribus et cautione apte adhibitis gentiles sibi conciliasse eumqve religionis tradendæ causa lingvam Pruthenorum didicisse, qvin Donatum, principem artis grammaticæ, rudi et barbaro eorundem sermone reddidisse. Præ aliis evangelii apud

p) Vid. Suhm et Gadebusch l. c. Guillelmus inter alia decrevit, qvomodo terræ posthac occupandæ inter ensiferos et episcopum Rigæqve cives distribuendæ essent v. bull. confirm. Greg. IX. d. a. 1228 in bullar. Celsii p. 61.

q) v. c. Merkel die Vorz. Liefl. I. p. 423.

r) Chronic. trium fontium ed. Leibnit. p. 527.

gentes exteras præconibus, qvi ferro qvam verbi gladio uti maluere, Guillelmus noster in eo certe laudandus, qvod erga neophytos maximam et ipse exercebat clementiam, aliisque commendabat. Qvi cum miseros illos animi servitute liberandos mancipia veri nominis fieri pati nollet, sævos ensiferos admonuit, ne decimas cæteraqve vectigalia exigentes in homines libertate privatos crudelius consulerent *s*). Neqve absens religioni spargendæ defuit, qvin coloniam ordinis prædicatorum, qvibus tum jam abundabat Dania *t*), Revaliam mittendam impetraret a Valdemaro II *u*). Profectus religionis christianæ in illis regionibus prædicatoribus omnino magnopere debentur *v*).

---

s) Gruber orig. p. 174.

t) Pontopp. ann. eccl. I. p. 635 et 642, cfr. histor. ord. prædic. Langebek Script. rer. Dan. V. p. 501.

u) Messenii Scond. illustr. II. p. 29. Pontopp. ann. I. p. 642. Qvam ad operam sibi præstandam Dominicanos eo promtiores haberet necesse, eum a Gregorio IX commonerentur, ut ethnicis illius terræ convertendis adessent. Raynaldi annal. eccles. (Lucæ 1747) II. p. 29.

v) Suhm. IX. p. 664.

4.

Qvoniam spatio inter an. 1226 & 1234 vitæ et legationum Guillelmi Mut. interjecto nox offusa est, veritatem conjecturarum vi quærere oportet. Annales Livonici post a. 1226 de ipso adeo silent, ut ex illis partibus discessisse putetur; id qvod aliunde certius evadit. Dani nimirum Valdemaro captivo per ensiferos numqvam non in angustias compulsi lividisqve insuper et invitis oculis adspicere coacti, qvantum isti danici nominis inimici arma et imperium in dies proferrent, potestatem sibi imminentem inhibere conati sunt, idqve arte, qvæ monstrat, qva vi et auctoritate duceretur mandatum pontificis ore legati apostolici editum. A. 1227 in Livonia legatus apparuit, pontificius qvi putabatur, nomine papæ interdicens, ne paganos, nisi in terras christianorum incursiones facerent, Albertus ac Volqvinus, magister fratrum militiæ Christi de Livonia, posthac infestarent. Tale vero jussum cohortationibus et promissis papalibus tam contrarium non potuit non obstupefacere moxqve ejecto primo terrore apertum est legatum falsum esse a Danis male

sti certatum esset, qvæqve a Guillelmo Mutinensi nomine ecclesiæ romanæ essent receptæ, Balduino administrandas traderent. Atqvi probus ille vir negotia, qvæ ipsi facessebant ensiferi, pertæsus a. 1234 honores suos coram papa deposuit adversarios suos Livonicos graviter simul accusans, qvod indigenas iniqve vexatos a Christo abalienarent *g*). Qvibus ut malis occurreret, Guillelmus in locum Balduini suffectus iterum in Livoniam profectus est *h*).

Qværitur itaqve, ubi Guillelmus noster per hocce temporis intervallum commoratus fuerit, qvæqve partes facinora legati indefessi referant? Neqve Mutinæ, ubi Guibertus vices ageret episcopi absentis *i*), tum versabatur; neqve mihi videtur verisimile eum a. 1229 Sveciam petiisse †). Constat qvidem Gregorium IX enixa cura id egisse, ut, qvo-

---

g) Merkel. II. p. 28. Intelligitur e mandatis, qvæ post Guillelmo papa dabat (Suhm IX. p. 664 sq.) Balduinum Romæ nil celasse.

h) Gruber orig. cum sylva d. p. 183. not. g.

i) Ughelli Ital. sacr. II. p. 153.

†) Langebek Scr. R. D. V. 501.

niam expeditio sacra a Friderico II promissa male cederet, et imperator pontifici molestior esset, alios principes, inter quos Sveciæ rex, ad societatem sibi vocaret. Qvocirca papa ex exilio Perusiæ, qvo per Romanos auctore Friderico seditiosos *k*) pulsus erat, an. 1228 ad regem Sveciæ litteras misit scriptoremqve suum, Simonem, qvi subsidia suppetiasqve adversus Fridericum refractarium conqvireret *l*). Litteræ et nuncius in incerto relinqvunt, qvid tam brevi post in partibus Sveciæ Guillelmus sibi vellet legatus, cujus nomen præterea in annalibus illius regni, si res in Gothlandia gestas exceperimus, ad a. 1247 usqve obscurum manet.

Pleriqve scriptorum Danicorum, apud qvos de Guillelmo Mutinensi fit mentio, legatum a. 1229 inter Danos versatum esse ferunt *m*). Cui tamen opinioni hæc maxime

---

k) Moser Geschicht. d. Nunciat. I. p. 181.

l) Bullar. Celsii p. 62. Vastovii vitis aqvil. p. 175 cfr. Dalin II. p. 153.

m) Hvitfeld Kron. II. p. 197. Pontan. hist. rer. Dan. L. VI p. 316. Pontopp. ann. eccl. Dan. I p. 642. Münter Mag. I p. 92.

obstare judico: 1. Hvitfeldius et secundum illum cæteri rem, qvam narrant, didicisse videntur ex ea historia ordinis prædicatorum, qvæ in Script. R. D. V p. 501 reperitur, ubi qvidem, nescio qvo jure, Guillelmus appellatur legatus sedis apostolicæ in partibus Daciæ et Sveciæ, verum præsto fuisse non dicitur. Sed in cæteris chronicis, catalogis regum et chronologiis, qvotqvot in Script. R. D. exstant, hic Guillelmi adventus in Daniam ne tangitur qvidem, licet cæterum auctores isti diligenter admodum memoriæ prodiderint, qvinam legati sedis apostolicæ illa ætate Daniam intrarent. 2. Gravissimum tamen argumentum, cur ab Hvitfeldio dissentiam, inde peto, qvod nullus video, qvo consilio sive mandato publico Guillelmus legati munere instructus in Daniam contendere jussus fuerit. Adductus auctoritate Alberici, qvi ad annum 1241 mortem Valdemari victoriosi memorans obitir tantum monet dignitatem imperii romani *quondam* Abeli, regis filio, fuisse oblatam *n*), Münterus l. c. conjicit Guillelmum ea, de

n) Chron. trium fontium ed. Leibn. p. 577.

qva ambigitur, legatione ornatum in mandatis habuisse, ut Abelem ducem contra Fridericum imperatorem erigeret. Artes curiæ romanæ hoc sæculo in eo præsertim verti perspicuum est, ut gens Hohenstauffica, nominatim Fridericus II iste, gloriæ qvippe sedis apostolicæ nimis officiens, deturbaretur, siqvidem tum evenisset, qvod Innocentius III metuerat: "ne rex Siciliæ opulentæ imperio Germanorum auctus Romæ immineret" o). Fridericus II ad præclara incepta factus natusqve, sed genio sinistro ita dejectus, ut consilia lætissima qvæqve in irritum reciderent, solium imperii, unde non solum Germaniam sed Italiam qvoqve regeret, Romæ collocatum maluit qvam sellam Petri. At omnem cogitationem fere omnesque curas in Italia defigens res Germanicas plus justo forsan neglexit; qvo factum tandem, ut papa, nimia turbas concitandi potestate in Germania sibi facta, perniciem in hac terra ipsi pararet. Ab anno 1228 ad a. 1230 Gregorius IX Ottone card. famoso ministro utebatur, per qvem adversus

o) Epist. 64. p. 718.

Fridericum, in expeditionem sacram profectum qvamvis, tela Europæ Germaniæqve inprimis torqverentur p). Ottoni negotium datum fuisse, ut Danos qvoqve in imperatorem lacesseret, Godefridus Coloniensis nos facit certiores q). Qvæ cum ita sint, et Otto, legatus sed. ap., vere in Daniam venerit, ad illum potius qvam ad Guillelmum Mutinensem Alberici narrationem supra laudatam referendam esse putaverim. Si qvid præterea ex serie rerum narratarum statuere fas est, Albericus imperium Abeli oblatum ducit vel paulo ante vel eodem fere tempore (scilicet a. 1228), qvo repudiaretur eadem conditio ab *Ottone card.* etiam duci Luneburgensi lata r). Unde opinioni nostræ major forsan accedit fides.

Videndum igitur nonne conjecturâ saltem asseqvi liceat, ubi per qvosdam annorum, de qvibus disceptatur, Guillelmus egerit. Eqvidem Alberico si fides habenda s), existimaverim episcopum Mutinensem e Livonia

---

p) Moser Gesch. d. Nunc. I. p. 184 sq.
q) Freheri Script. R. Germ. I p. 296.
r) Ann. Godefred. Colon. l. c.
s) Chron. ad an. 1228 p. 527.

sive potius Lubeca *t*) Borussiam petivisse incolas christiana institutione confirmaturum. Samblandia, qvæ pars Borussiæ orientalis dicta est, inter provincias Guillelmo legato traditas, in bulla Honorii III d. a. 1224 *u*) omnino commemoratur. Huc accedit, qvod Godefridus Coloniensis scriptum reliqvit card. Ottonem *d*. 1228 sacris interdixisse civibus Aqvisgrani, qvod factio imperatoris hac in urbe vinculis retinuisset episcopum Mutinensem e Borussia reducem multâqve pecuniâ spoliasset *v*). Qvod si vel suspicari licet negotia

---

t) Vid. supra p. 19 sub finem not. *e)*. Num Guillelmus Lubecam e Livonia sese receperit, ut Teutonicos in expeditionem sacram Livonicam ituros colligeret cfr. Suhm. IX p. 533, et Lubecâ mox in Borussiam redierit? Nonne narrationes de Guillelmo a. 1226 Lubecæ commorato et eodem a. 1229 in partibus Daciæ legato ab auctoribus confusæ sint? Qvæstiones sunt, qvas solvere non sustineam.

u) Gruber orig. cum sylva doc. p 265 nr. 43. cfr. mappa geogr. annexa hist. ord. teut. sæpius citatæ.

v) Freheri Script. R. G. I p. 296. Auctor annal. Mutinens. (Muratorii Script. R. Ital. XI p.

imperatori damnosa in causis vinculorum fuisse x); non constat tamen cum mandatis ejusmodi papalibus in Daniam ipsi perventum fuisse, multo vero probabilius est Ottonem partes amici captivi suscepisse atqve Daniam petiisse.

Cum lites inter papas et Fridericum II gestæ, in idea hierarchiæ illius ævi repræsentanda, cardo rerum merito habeantur, Guilelmum nostrum h. l. paulisper relinqvere non nolimus anqvirentes, qvales in re tam ancipiti se gesserint Dani. Fridericus II, qvia invitus videbat, qvantopere Dani terris in detrimentum imperii Germanici expugnatis crescerent nec imperatori se dicto audientes profiterentur, tristem Valdemari II captivitatem lætus accepit. Qvi, licet plures sese interponerent, tantum tamen abfuit, ut regem, nisi ditione occupata cederet †), liberari jube-

59) ad a. 1227: "Grave, ait, cum Guielmo episcopo hoc anno peccatum celebratum est."

x) Cfr. Dacherii spicileg. IX. p. 659.

†) Cfr. Hist. de l'ordre teuton. I. p. 153 de Hermanno de Salza horum negotiorum participe. Mallet hist. de Danm. (ed. 1783) III. p. 456.

ret, ut captivum potius in suam potestatem redigere conatus ea de re a. 1224 ad episcopum Hildesheimensem scriberet monitumqve vellet y). Perinde integræ imperii saluti Fridericus postea consuluit Lubecensibus a Danis deficientibus a. 1226 opem ferens z). Qvem inimicorum antesignanum et principem Valdemarus injuriæ, qvam putabat, impatiens non potuit non indigne ferre.

Papa autem opulentum et fortem Daniæ regem suis partibus adjungere studens dissensiones has in rem suam convertere non dedignatus est. In epistola ad archiepiscopum Coloniensem data singulares afferuntur causæ, cur pontifex Danis et eorundem regi tam bene cuperet: qvod scilicet regnum non modo sedi

---

y) His verbis inter alia: "iste rex, uti tu ipse nosti, multa de bonis imperii occupavit ad nos et imperium respectum, qvem debuit, non habendo, unde cum ad recuperationem totis viribus et affectibus anhelemus„ &c. vid. Origin. Guelph. IV. p. 100.

z) Petri Olai excerpt. ex hist. dan. Script. R. D. II. p. 259 cfr. Suhm. IX. p. 521 sq.

apostolicæ esset censuale *aa*), sed Valdemarus etiam, rex fide spectata erga papam, clam pollicitus esset se unacum filio in terram sanctam cum exercitu profecturum esse *bb*). Qvid mirum itaqve regem vinculis tandem liberatum juramento hostibus præstito papam sponte sua solvisse, qvo justiorem sumeret vindictam de adversariis et negotia simul facesseret Friderico et sibi et papæ molesto *cc*)! Clades gravissima, qvam Dani apud Bornhovet accipiebant, lætissimam spem regis plane fefellit, atqve antiqvus rerum status et iræ imperatorem inter et Danum permansere.

---

aa) Qvo modo vero hoc sit intelligendum videatur Spittler von der ehemal. Zinsbark. der nord. Reich. an den röm. Stuhl p. 18 sq.

bb) Gruber orig. Liv. p. 263 nr. 40 cfr. Hugonis monum. antiq. sacræ p. 472. Godefredi annal. in Freheri Script. R. G. I. p. 293 Honorius III qvippe dolores molestiasque, qvas Damiata ab infidelibus recuperata et cunctatio Friderici sibi creaverat, concoqvere non poterat (Schmidt Gesch. der Deutsch. III. p. II. sqq.) et aliunde subsidia circumspicere cæpit. cfr. bullar. Celsii p. 59.

cc) Hvitfeld. II. p. 193. Pontoppid. annal. eccl. Dan. I. p. 641.

Itaqve papa haudqvaqvam temere, nisi forte vires ad donum arripiendum deerant, Abelem sceptro Friderici donare voluisse fertur. Cæterum est sane, qvod doleamus hæc paparum artificia ob negligentiam chronographorum parum esse illustrata.

Gregorium IX, qvoniam esset periculum, ne fines qvosqve excederet potentia Friderici vix ferenda a. 1241 in conciliis Budevisii et Libussæ habitis filio regis Cimbrorum imperium obtulisse Aventinus tradit *dd*). Cui rei fidem facit narratio Alberti Stadensis, qvi nos reddit certiores pontificem, cum a. 1239 imperatorem anathemate perculsurus esset, nusqvam ministris promtioribus usum esse qvam in Gallia et Dania *ee*). At Valdemarus senio confectus et cautione adductus filium dehortatus est *ff*). Nescio an idem illud factum

dd) Histor. Bojor. VII. c. 4. nr. 19. c. 5. nr. 7 & 20.

ee) Chron. p. 213 ad annum 1240; cfr. Mss. Bartholiniana. Matthæi Paris. hist. maj. (edit. Paris.) p. 335.

ff) Pontan. h. r. D. VI. p. 328. Utrum filius regis Cimbrorum, qvem memorat Aventinus l. c. Abel an Ericus putandus sit, dispu-

respexerit Messenius pontificem concilio Lugdunensi a. 1245 imperium Friderici ad Ericum, regem Daniæ, deferre voluisse dicens *gg*). Utcunqve res est, supiscandum utiqve Innocentium IV cum aliis causis impulsum tum amicitiâ, qvam Ericus, dum uterqve Parisiis studia colebant, cum Sinibaldo Genuensi contraxerat, coronam cæsaream Friderico demtam tamqve multis frustra oblatam principi Danorum, si ipse pro nunciis Jacobo Erlandi et mag. Petro *hh*) Lugduni apparuisset, impositurum fuisse *ii*).

5.

Gregorius IX, cum Balduinus de Alna, ut supra dictum, coram ipso papa fratres militiæ Christi de Livonia gravissime detulisset

tant docti. Suhmius (Hist. X. p. 49) Abelem dictum censet; Grammius autem (not. ad Meursium ed. Florent. 1746 p. 406 not. a.) primum Erico deinde Abeli imperium oblatum judicat.

gg) Scond. illustr. II. p. 33 XV. p. 36.

hh) Pontopp. ann. I. p. 659.

ii) Pontani VI. p. 328 cfr. Hartknoch ad Petri Dusburg. chron. c. 36 p. 130.

turbatumqve rerum statum denunciasset, legatum, qvi malo crudo mederetur, protenus eôdem mittere necessarium duxit. Guillelmo igitur, qvi res ejusdem provinciæ optime qvondam gessisset, huic muneri qvis magis idoneus? Epistolâ (d. Laterani IX. cal. Mart. a. 1234) pontificiâ Guillelmus commendatur, utpote qvi religionis propagandæ causa episcopatu Mutinensi cessisset *a*), promtus paratusqve ad qvævis pericula Christi causâ subeunda qvin ad sangvinem profundendum. Maxima auctoritas ei concessa est in ampla provincia, ad qvam a Balduino ipsi relictam Borussia etiam accesserat. Episcopatus enim conjungere atqve dividere, episcopos consecrare et jam consecratos ad alias ecclesias transferre legato erat permissum *b*). Legationem vero, ut nobis propositum, ita percurramus, ut præci-

---

a) Ughelli Ital. sacr. II. p. 154. Post modum qvoqve Guillelmus vocatur episcopus *qvondam* Mutinensis.

b) Gruber orig. Liv. p. 183 p. 270 nr. 50 cfr. Raynaldi annal. (ed. Lucæ 1747) II. p. 113. Suhm. Hist. IX. p. 641 sq. e. a., ubi plura Guillelmi gesta exponuntur.

puis factis, iis maxime, qvæ cum rebus septemtrionalibus cohæreant, immoremur.

Fratres militiæ Christi de Livonia castrum Revaliæ et provincias, qvas captivitatem miseram Valdemari II calamitatesqve Danorum in rem suam convertentes occupaverant, nomine ecclesiæ Romanæ licet acceptas sub sua potestate retinere studuerunt. Gregorius IX, cujus pro præsenti rerum statu magni interesset Valdemaro de violentia ensiferorum juste qverenti auscultare *c*), Guilhelmo a. 1236 mandavit, ut possessiones reposceret ecclesiæ in tutelam fratrum receptas, Danoqve restitueret, qvas permissu Innocentii III et Honorii III hic jure cepisset; pacem cæterum et amicitiam utrimqve componeret *d*). Andreas, archiepiscopus Lundensis, qvi Valdemaro Esthoniam sub suam et ecclesiæ romanæ potestatem redacturo strenue ministraverat, annuente Innocentio III *e*) tres

c) Messenii Scond. illustr. II. p. 30 sqq.

d) Access. ad recens. bullar. Celsii p. 32. Suhm IX. p. 676 sq.

e) Access. ad. rec. bul. Cels. p. 2 nr. 3 ad a. 1205. Lealensis episcopus mutata sede Tar-

creaverat episcopos, Lealensem nempe, Revaliensem et Vironiensem, qvi qvidem primatui Lundensi continuo suberant *f*). Sed ensiferi motibus ex adversa fortuna Valdemari ortis usi episcopis ejectis bona ecclesiæ læserant *g*). Qva de re cum archiepiscopus Lundensis indignabundus coram papa qvestus esset, Guillelmus episcopatus cum pleno jure nominato præsuli restituere jussus est *h*).

Guillelmus præterea in vinea Domini pro more illius ævi impigre laboravit. Qvi, cum Gregorius IX a. 1236 ipsi mandavisset, ut vicinos ad gentiles jugo Christi submittendos provocaret militibusqve sacris easdem imper-

batensis (Dorpatensis) postea nominatur Suhm IX. p. 511.

f) Pontani hist. r. D. VI. p. 307 & 318. Verum Arndt (Liefl. Chron. II. p. 37 not.) monet Pontanum l. c. dioecesin Lundensem latius extendere. Rigæ cæteræqve coloniæ Livonicæ archiepiscopo Bremensi parebant inde, ut puto, pvod primitus a Bremensibus, Lubecensibus aliisqve conditæ erant. cfr. Schmidt Gesch. d. D. III. p. 508.

g) Hvitfeld II. p. 190.

h) Raynaldi annal. II. p. 156. Access. ad rec. bull. C. p. 31 nr. 29 ad a. 1236.

tiret indulgentias ac Hierosolyma petentibus *i*), contra Lithuanos expeditionem sacram adornavit; in qva cum Volqvinus, dux ensiferorum fortissimus, cecidisset *k*), omnia cæde suorum strata sunt. Qvocirca pontifex ipse de rebus Livonicis sollicitus esse cæpit *l*). Strages Volqvini, infelix belli exitus minæqve Valdemari fratres militiæ Christi adeo habebant anxios, ut ad maturitatem perveniret consilium jam pridem agitatum *m*) de unione cum ordine teutonico (fratribus hospitalibus S. Mariæ teutonicorum de Hierusalem), cujus præceptor tum erat celeberrimus ille Hermannus de Salza. Qvæ pactio a. 1237 inter utrumqve ordinem convenit *n*). Hermannus Bal-

---

i) Raynald. l. c.

k) Merkel die Vorz. Liefl. II. p. 31 cfr. Gruber orig. cum sylva Doc. p. 272. nr. 52.

l) Raynaldi annal. II. p. 157.

m) Messenii Scond. illustr. II. p. 30. X. p. 8. Merkel. II. p. 51.

n) Gruber orig. p. 274 nr. 54 cfr. Suhm. IX. p. 675. Histoire de l'ordre teutoniqve I. p. 289-95.

ke magister provincialis de Livonia in locum Volqvini interemti subrogatus est *o*).

Cum ensiferi vires auctas remensi jactarent, rexqve Danorum ludibrio sese haberi non passus ad Orthungas magnam cum exercitu classem contraxisset in Esthoniam, ut videbatur, profecturus *p*), res sic in maximum discrimen adducta est, ut pontifici cum cura videndum esset, ne res christiana in illis oris recens adhuc detrimenta caperet. Singulari epistola ergo Guillelmo, *pœnitentiario q*) et legato sedis apostolicæ negotium datum est, ut lites inter regem Daniæ et hospitalarios Livoniæ componere conaretur *r*), Guillelmus id

---

o) Raynald. annal II. p. 177. Dalin. Gesch. Schwed. II. p. 143.

p) Suhm IX. p. 682. Ensiferi deditionem Revaliæ et terrarum, qvæ jubente papa Danis restituendæ erant, semper recusarunt aut saltem procrastinarunt; vid. hist. de l'ordre teut. p. 294, qvam indigne tulerint papam Revaliam Dano restituendam promisisse.

q) Qvæ dignitas episcopum qvondam Mutinensem docet ab honoribus Cardinalatus prope abesse cfr. Glossar. du Fresne.

r) Bullar. Celsii p. 66. Magnopere sane mirandum, qvî Celsius l. c. pro: *Carinum*, ut ipse

agens, ut litigantes in gratiam et amicitiam redirent, cum Hermanno Balke *s*) ad regem proficisci instituit. Qvo facto in oppidulo, Steensbye qvod dicitur *t*), intercedente Guillelmo pax inter utramqve partem convenit. Transactionibus præter legatum, regem et magistrum, intererant Ericus, Abel et Christophorus, filii Valdemari, Uffo archiepiscopus Lundensis, Nicolaus ep. Roeskildensis, Petrus Arhusiensis, Johannes Burglamensis et prædicatorum ac minoritarum plures multiqve Teutonicorum et Danorum nobilissimi. Qvibus præsentibus constitutum est: ut Valdemaro secundum decreta pontificia Revalia unacum munitionibus salvis et integris, et

habet, lectionem, *Canutum*, constituere velit. Canutus rex a. 1202 jam obierat; et stellulæ in Vastovii vit. aqvil. p. 175 voci annexæ significant nomen regis prætermissum esse, et bulla, qvalis in Raynaldi ann. II. p. 177 habetur, *Carissimum* legi jubet.

s) Pontan. h. r. D. p. 318 cfr. Arndt Liefl. Chron. II. p. 40. Münterus (Magaz. I. p. 97) Hermannum de Salza minus recte intelligit.

t) Prope ab Orthungis, ubi castra regis. Suhm IX. p. 682.

Vironia, Harria et Gervia concederentur nec non duæ partes terrarum, qvæ postea communibus expensis sumtibusqve regis et hospitalariorum paganis forent eripiendæ. Spoponderunt etiam hospitalarii regi se in terris retinendis auxilio fore, dummodo in Christianos materiali gladio (qvod absqve jussu pontificis romani fieri nefas) sibi non esset pugnandum. Rex item promisit se nunqvam provincias hospitalariorum neqve Osiliam neqve Maritimam infestaturum esse, "utqve ipse et sucessores in orationibus fratrum tanto propensius habeantur commendati, ob salutem animæ suæ," eqvitibus Gerviam donavit cum omni jure possidendam, ea tamen lege, ut sine consensu regis nullæ munitiones ibidem struerentur. Archiepiscopus Lundensis, pacem firmam adjuturus, svadente Guillelmo et assentiente capitulo Lundensi, spiritualia Vironiæ, qvalia ab episcopis Esthoniæ hucusqve haberentur, hospitalariis permisit, qvin etiam iisdem condonavit, qvicqvid de decimis sive aliis rebus ad jura episcopalia pertinentibus in terris controversis sibi arro-

gassent u). Messenius Fridericum II in rebus hisce componendis seqvestrum egisse existimat v). Nescio qvid in re incerta, cum desint testes idonei, statuendum. Sed opinio vero absimilis adeo mihi non videtur, siqvidem Valdemaro Victorioso provinciæ expugnatæ olim per imperatorem confirmatæ inveniuntur x), et Fridericus in Livonia magnam auctoritatem habebat y). Deditio Revaliæ non ita multo post inseqvuta est per Johannem Burglamensem episcopum cum Herman-

u) Conventi vidimus in litteris Erici Menved d. a. 1314 exstat in bullario Arna-Magn. ed. Thorkel. I. p. 300 sqq. cum bulla confirmatoria Innocentii IV. d. a. 1243. Omnia vero negotia hæc apud Hvitfeld. p. 201 Pontan. p. 318 sq. Arndt. II. p. 40. Münter Mag. I. p. 96 sq. Suhm IX. p. 682 sqq. e. a. memoriæ tradita sunt. Rhythmi de transactione Stensbyensi, qvi in symbolis ad litteratur. teutonic. ed. Suhm. Havniæ 1787 p. 439 sqq. habentur, parum lucis rebus affundunt. Cfr. Hist. de l'ordre teut. I. p. 299 sq.

v) Scond. illustr. X. p. 8.

x) Pontopp. annal. I. p. 626 sq.

y) Merkel die Vorz. Liefl. II. p. 28. Hist. de l'ordre teut. I. p. 297.

no Balke, qvem in Daniam comitatus erat, iterum in Esthoniam profectum z).

Itaqve ope Guillelmi in annalibus Daniæ magno nomine celebrandi res demum pacatæ sunt sublataqve pericula, qvæ non solum dominio Valdemari in hisce regionibus verum etiam tenero germini religionis christianæ maxime imminebant. Unde autem Guillelmo tanta auctoritas nisi Româ profecta? Qvanto jure illa pericula metuenda essent, postea docebitur, qvando ad legationem Guillelmi Polonicam, qvam a. 1242 adiit, nobis ventum fuerit. Anticipanda vero nonnulla, qvæ temporum ratio præmittenda exigit.

Licet Polonia jam dudum sacra christiana esset amplexa, res ecclesiæ tamen modo pontifici exoptatissimo minime constitutæ erant. Ab exteris gentibus æqve agitata terra ac per principes turbulentos se invicem infestantes lacerata, clerus sæpissime male habe-

z) Poutopp. ann. I. p. 599. Pactis Stensbyensibus eo usqve satisfactum reperimus, ut Dani cum ordine teutonico junctis armis Ruthenos aggrederentur. Pontan. VI. p. 319 cfr. Suhm X. p. 28 sq.

bat de injuriis molestiisqve nunqvam non conqvestus. Episcopus Gnesnensis inprimis ratus est habere se, cujus juste argueret Henricum, potentem Silesiæ ducem, qvi cum Conrado, duce Masoviæ, et Boleslao Poloniæ contendens nimiam sibi in rebus patriis auctoritatem arrogasset *aa*). Qva de causa Gregorius IX a. 1236 jam ante negotia cum Danis transacta Guillelmum commonuisset, ut in principes violentos et ecclesiasticis infestos inqvireret eosdemqve notaret ac cohiberet *bb*). Nec dubium, qvin pacta, qvibus Henricus, Silesiæ dux, Boleslaus et Conradus a. 1237 inter se reconciliabantur, Guillelmo intervenienti præsertim deberentur. Legatum nempe in Polonia ipsum adfuisse, inde patet, qvod eodem anno cum Martino Sandomiriano, Dominicano, ad Ludovicum Galliæ regem se contulit, unde Constantinopoli in angustias compulsæ auxilia impetraret *cc*). Cum nimi-

---

aa) Dlugoss. s. Longini hist. Polon. I. p. 656 sqq.

bb) Raynaldi annal. II. p. 157 et 202. Guillelmus a. 1235 jam iter paravisse videtur e Livonia ad alias partes vid. Suhm. IX. p. 654.

cc) Dlugoss. hist. Polon. I. p. 659. C.

rum, defuncto Johanne de Brienne, fortissimo urbis propugnatore, imperium latinum, qvod dicitur, a Vatace, imperatore græco, et Asano, rege Bulgarorum, premeretur, juvenis Balduinus Europam peragravit rebus labantibus fulcra emendicaturus. Galli vero misericordia soli victi sunt *dd*).

Restat ut hoc loco, anteqvam Guillelmum de Livonia abeuntem mittamus, mentio fiat rei, qva ad gesta illius viri examinanda præsertim adductus fuerim. In fatis servitutis septemtrionalis disqvirendis, cum qvondam versarer, incidi in locum qvendam apud Stiernhoek *ee*), ubi Guillelmus abolitionem servitutis in Svecia ursisse fertur. Qva de causa cum dubius hærerem, qvo Stiernhoek usus sit auctore, tandem jure eundem arguere posse mihi videor, qvod facta diversa commiscuerit aut analogismo saltem in Sveciam transtulerit, qvod de Livonia aliisqve terris transmarinis proprie valeret. Qvanta-

dd) Histoire du bas-empire par le Beau XXI. p. 349 sqq. ad annum 1237.

ee) De Jure Sveonum et Gothorum p. 227.

irâ Guillelmus in Osilanos, qvi christianos crudeliter abreptos in servitutem compellerent, qvondam animadvertisset, supra jam commemoratum *ff*). Magis e re nostra hæc. Pontifex romanus gentiles Livoniæ, Esthoniæ &c. recens conversos servituti præconum evangelii nimis severæ subesse tam indigne tulit, ut non solum Balduinus, episcopus Semigalliæ, cum sedes vacaret episcopi Rigensis, miseras hostium devictorum catervas in libertatem vindicare posset, verum etiam pontifex episcopo Rigæ graviter comminaretur, qvod instigante generis humani inimico et spreta prohibitione sedis apostolicæ atqve *Ottonis* legati plantationem novellam a servitute diaboli liberatam suæ servituti subjecisset *gg*). Propius vero attinet, qvod Raynaldus ex epistolis apostolicis refert: "fidei proferendæ, ait, cupidissimus pontifex Guillelmum episcopum olim Mutinensem sedis apostolicæ legatum dare operam jussit, ut servi, qvi sacro baptismatis ritu abluerentur, liberalius

ff) Hujus comment. p. 21.

gg) Cfr. access. ad rec. bull. Celsii p. 25 sq. nr. 12 sqq.

tantæ acceptæ dignitatis intuitu tractarentur: nonnihil oneris servilis remitteretur, divinisqve interesse facultas daretur. Qvin etiam, pridie ejus diei monuerat, ne liberos hominesqve, qvi numero christianorum se aggregarent, ab hospitalariis S. Mariæ teutonicorum aliisve sub jugum servitutis redigi pateretur," *hh*). Ulteriori harum rerum explicatione omissa, id tantum mihi volo, qvod, si certum non, facile tamen sit ad credendum, Stiernhoek gestis ejusmodi persvasum rebus Scandinavicis aliena miscere non recusasse, abrogatio servitutis qvippe in septemtrione nimis in obscuro esset.

Utcunqve res est, lætior nobis arridet hierarchiæ forma, qvæ effrenas fortiorum cupiditates feritatemqve coercuerit; afflictos sublevaverit, humanitatemqve solo christiano propriam et qvasi vernaculam almâ foverit curâ.

---

hh) Annal. eccl. (ed. Lucæ 1747) II. p. 204 ad a. 1238 cfr. p. 245. Gruber orig. Liv. cum sylva doc. p. 273. Cod. dipl. Pol. V. p. 24.

6.

Guillelmus mox post conventum, qvod pactus erat, Daniam reliqvisse videtur, cum amplius nil esset, qvod legatum præsentem postularet a). Idem, cum res turbatas Livoniæ temperasset et periculo propter ambitiosa principum consilia sacris imminenti tempestive occurrisset, provincia Romæ sibi demandata perfunctus erat. Verum tamen hierarcham Romæ pæniteret necesse, qvod a. 1240 in Esthonia non esset, qvi periculum vi-

a) Compertum præterea eorum auctoritate, qvi comitia Orthungensia, ubi a. 1240 lex Cimbrica lata est, nominaqve præsentium descripserunt v. c. Hamsfortius (chron. in Langeb. Script. R. D. I. p. 288), legatum illi conventui non interfuisse. Attamen liceat mihi nihilosecius observare l. II. c. 83 leg. Cimbr. (de opere diebus festis licito) eandem referre indolem, qvam constitutionum Bergensium qvædam, nisi forte remissionem hanc mitiori ætatis ingenio qvam clementiæ Guillelmi imputare malumus. Diversum sane jus eccles. Canuti Magni Slesvici a. 1022 promulgatum, in qvo omni opere diebus festis, necessario qvamvis, severe interdictum erat; vid. Pontopp. ann. I. p. 178.

ćii perniciosi, qvod Valdemarus, rex Dan
præter jussa pontificia commissurus erat, p
sens depelleret. Vitium idem illud,
Guillelmum in Svecia tam prospere obvi
euntem videbimus. Qvanqvam enim capi
la ad omnes Daniæ ecclesias cathedrales r
instituta erant, reges tamen in episcopis
gendis auctoritatem non nunqvam vindica
rant *b*). Valdemarus II gravitatem præro
tivæ illius tuendæ, qvo in longinqvis prov
ciis imperium circa sacra exerceret, pro
edoctus, cum a. 1240 episcopum Revaliens
magno dono impertiret, diserte excepit,
ad regem, si unqvam jure electionis priva
tur, donum esset rediturum *c*). Neqve n
penes regem Daniæ, donec Margaretha, m
ter Erici VI a. 1277 precibus canonicoru
Revaliensium cederet, jus eligendi vere fu
se invenimus *d*). Guillelmus noster stud

---

b) V. c. Valdemarus I, cum vacaret sedes e
scopi Ripensis. Pontopp. ann. I. p. 326 c
Münter Reform. Hist. I. p. 82 sqq.

c) Pontopp. I. p. 651 sq. cfr. Hvitfeld p. 206

d) Pontopp. I. p. 739 sq.

hierarchicis plenus, si adfuisset, in re tam gravi parum sane connixisset.

Hvitfeldius et alii auctorem hunc secuti *e*) Guillelmum tradunt e Dania in Sveciam profectum sacerdotibus hujus regni matrimoniis interdixisse multaqve alia instituisse. Nolim eqvidem auctores tanti nominis spernere, attamen haud modice suspicor, uti in aliis scriptoribus, de qvibus suo loco disserendum, ita et ab illis, qvi laudati sunt, esse qvasi confusa eventa a. 1248 et ad annum, de qvo agitur, translata, licet non negem Hvitfeldium concilii Schenningensis mentionem injicere *f*). Varia me dubium fecerunt. Qværitur cur de Guillelmo, postqvam Dania egressus es-

---

e) Kron. p. 204. Münter Mag. I. p. 97 cfr. Baaz inventar. eccles. Sveog. p. 144. Bzovius (annal. eccl. post Baronium) ad a. 1240. 9. qvidem narrat papam h. a. Guillelmum in Livonia et Borussia legatum provincia Scandinaviæ qvoqve ornavisse eiqve mandavisse, ut mores inqvireret ecclesiasticorum, schismaticos ad pacem ecclesiæ revocaret ac principibus gentiles impugnantibus partim benedicendo partim victos instituendo adesset.

f) Kron. p. 218.

set, per biennium fere in Svecia inqve negotiis tanti momenti versato, tam parum constet, ut plurimi iiqve locupletes hoc factum silentio prætermiserint? qvid porro Guillelmus ipse, constitutionibus Schenningensibus præfatus *g*), in violatores interdicti a semetipso paulo ante editi ne minimum qvidem animadverterit, atqve matrimonia sacerdotum omnino commemoraverit tanqvam pravum morem, sed veterem adeo a patribus traditum atqve illæsum?

Qvoniam res hæret, nescio an conjecturam proponere liceat, qva relationes et dubia qvodammodo inter se conciliari possint. Guillelmus a. 1247 ex Anglia in Norvegiam trajecturus, cum male audiret, qvod Norvegos barbaros adire vellet, inter alia respondisse fertur *h*): "prius se in Norvegia fuisse, visum qvoqve sibi eorum archiepiscopum virum excultis moribus tantæqve dignitati idoneum, etiamqve episcopos doctrinæ morumqve laude conspicuos esse" &c. Cum igitur Guillelmus ante a. 1247 in Norvegia commo-

g) Vid. Münter Magaz. I. p. 192.

h) Torfæi hist. Norveg. IV. p. 246.

ratus Sigurdum Indridi filium nosset, qvi a. 1230 ad archiepiscopatum accesserat *i*), facile putarem ipsum compositis iis, qvas cum ensiferis Valdemarus egerat, litibus per Sveciam in Norvegiam ivisse et eo modo tricas expediri posse. Uti rem ipsam ita neqve consilium itineris facti nisi conjecturâ asseqvi possumus. Fieri qvidem potuit, ut Guillelmus, cum legem cælibatus ecclesiastici a Nicolao Breakspear a. 1152 jam latam postea vero neglectam Gregorius IX a. 1237 denuo jussisset *k*), edicto pontificiali præsens auctoritatem conciliaverit. Sunt qvidem, qvi sacerdotibus Norvegicis Guillelmum a. 1247 conjugiis severe interdixisse tradant *l*). Qvando autem, qvi rem factam narrant, licet cæterum legatio ad Norvegiam a. 1247 suscepta satis sit illustrata et exacte descripta, nullo auctore fide digno utuntur, est certe, cur opinemur.

i) Finni Johan. hist. eccles. Isl. I. p. 230.

k) Münter von Cælibat und Priesterehe in Norden; in ejusdem Beyträge zur Kircheng. p. 340 sqq. cfr. Mag. I. p. 185 et Bzovius ad a. 1237 nr. 9 (Mss. Barthol.).

l) Messenii Scond. illustr. II. p. 34. XV. p. 37. Evalds Tidsregister p. 495 cfr. Münter l. c.

eos conamina priora in cælibatu instituendo olim collocata minus autem cognita huc traxisse. Utcunqve demum existimatur, res conato male cesserit necesse, cum in Norvegia exstent vestigia concubinatus saltem inter clericos usqve ad tempus reformationis †). At e locis impeditis divertamus Guillelmum nostrum via planiori eademqve ab arcto remotiore brevi seqvuturi.

Dum Tatarorum effusa cohors Poloniam Silesiamqve ferro flammaqve devastabat, horrida tempestas ab altera parte rebus christianorum his in regionibus imminebat. Svantopelcus, Pomeraniæ dux, et veritus et prohibiturus, ne Pruthenis Lithuanisqve subactis ordo teutonicus ducesqve Poloniæ adversarii viribus ipsi demum molestis augerentur, cum illis gentibus in angustias compulsis arma junxit, et debellatis christianis, qvibus qvondam opem tulerat, fractisqve viribus

---

†) Cfr. Cavillationes Theodorici de Niem (Nemor. Union. Tract. VI. c. 35 p. m. 377 sq.) Qvæ leguntur ap. Pontoppid. II. p. 26 sq.

eorundem contigit, qvod optaverat m). Guillelmus, cujus prudentia et navitas Romæ egregie experta esset, a. 1242 eodem iterum ablegatus n) initio qvidem eâ fortunâ usus est, ut pacem inter Svantopeleum et propugnatores rei christianæ conciliaret o). Sed Pomeraniæ dux hostibus diffisus pacem et concordiam, qvam viribus inferior inierat, simulavit tantum; et vulnus, qvod jam consanuisse videbatur, mox recruduit. Ne multa: omnes artes a Guillelmo adhibitæ omnesqve minæ et piæ cohortationes ad expeditiones sacrâs contra refractarium istum suscipiendas in viro forti opprimendo frustra consumebantur p). Multo tempore interjecto Jacobo, archidiacono Leodiensi, tandem contigit, ut Svantopelcum ad firmam pacem compelleret q). Guillelmo in mandatis qvoqve fuit, ut controver-

m) Cfr. chron. Petri Dusburg. cum not. Hartknoch. p. 120. vid. etiam histoire de l'ordre teut. I. p. 320-335 p., 361 sqq.

n) Dlugoss. hist. Polon. I. p. 690.

o) Chron. Dusburg. p. 138 sqq.

p) Raynald. ann. II. p. 343 sqq. Suhm X. p. 33.

q) Chron. Dusburg. p. 168. Histoire de l'ordre teut. I. p. 404 sqq.

sias nonnullas inter episcopos et eqvites dirimeret. Borussiam secundum Petrum Dusburgensem r) in qvatuor divisit episcopatus, secundum Longinum nonnisi in tres s). Qvod discrimen inde proficiscitur, qvod Longinus, cum episcopatus Chelmensis jam pridem conditus tum forte confirmaretur modo, Varmiam duntaxat et Zambiam et Pomezaniam recenset. Litteræ, qvibus hæc episcopatuum institutio probatur, a. 1243 datæ sunt Anagniæ; unde Guillelmum, ut gratiam pontificis jam eligendi aucuparetur, Romam rediisse credibile est †). Gregorius IX a. 1241 obiit moerore confectus, qvod Fridericus II non modo concilium Romam convocatum multitudine clericorum intercepta moratus erat, sed etiam caput ecclesiæ versus propius in dies accedebat. Gregorio successit Cælestinus IV, qvi dignitate pontificia mensem ne unum qvidem ornatus veneno interemtus fertur. Qvo de-

---

r) Ibid. p. 122. Qvo plures episcopatus, eo firmior res ecclesiastica pontifici videbatur.

s) Hist. Polon. p. 690 cfr. Acta Borussica II. p. 612 sqq.

†) Vid. histoire de l'ordre teut. I. p. 335.

cedente nulla creatio, qvia Fridericus aliqvot Cardinalium in vinculis retinuerat, per unum annum cum dimidio in conclavi instituta est, donec Sinibaldus Fliscus a. 1243 tandem pontifex maximus creabatur nomine Innocentius IV *t*). Amicitiam, qvam Sinibaldus olim cum Friderico junxerat, Innocentius IV, qvamdiu ab imperatore tanta impendebant mala, etiamnum simulabat. Re vera autem non poterat, qvin Innocentium III sibi ad imitandum proponens cum principe audacissimo inimicitias iniret. Cui demum in fatis fuit perinde ac prædecessoribus in votis fuerat, ut præpotenti domo Hohenstauffenorum ad occasum vergente oculos pasceret.

Guillelmus Romam, ut videtur, a. 1243 redux factus post neqve ita multo, dum animum alienum dissimulare pontifex e re sua adhuc ducebat, honorifico mandato est ornatus, ut is cum qvibusdam aliis ecclesiæ antistitibus pacem reficeret inter sedem apostolicam et imperatorem *u*). Guillelmus negotiis

---

t) Bower Geschichte der Päbste VIII. p. 82.

u) Id qvod e bulla cernitur, qva Fridericus II a. 1245 damnatus deponitur. v. Magnum bullar.

ejusmodi perqvam fuit idoneus nec imperatori obscurus ab eo inde tempore, qvo in episcopatu Mutinensi vixerat. Hæc legatio æqve ac Ottonis cardinalis omni fructu, ut videtur, non caruit *v*). Suspiciones vero, odium propter captivitatem cardinalium et versutia pontificis non passa sunt in gratiam mansuram redire *x*), ac secum cogitavit Innocentius, qvomodo Fridericum, qvi papam cum Roma in manibus habere crederet, maxime falleret. Vim imminentem Antichristi evitaturus fidis Genuensibus, unde erat oriundus, sese commisit.

Genuæ (id. Julii a. 1244) omnibus in Christo fidelibus per Livoniam, Borussiam,

---

Roman. I. p. 85 Raynald. annal. II. p. 328. Matthæi Westmonast. flor. hist. p. 323. Nicolaus de Curbio (in vit. Innocentii IV. vid. Muratorii Script. rer. Ital. III. p. 592) videtur qvidem nomen Guillelmi nostri inter legatos, qvos dixi, præterire. Qvomodo nodus hic sit expediendus, legas in notis Mansii ad Raynald. ann. II. p. 289. cfr. Pagi breviar. pontif. Rom. III. p. 293.

v) Vid. epist. Friderici II. ad regem Galliæ. Petr. de Vineis ep. 241.

x) Cfr. Meister Gesch. der Hierarchie p. 241.

Gothlandiam, Oelandiam, Finnoniam, Esthoniam, Semigalliam, Curoniam, Lithuaniam, Austriam, Stiriam et episcopatus Pragæ ac Olmucii epistola scripta, qva Guillelmus, episcopus *Sabinensis*, qvondam Mutinensis, in illis partibus constituitur legatus sedis apostolicæ *y*). Ita illis, qvas Vistula permeat, oris res in extremum discrimen venerat, ut opem ferret pontifex necesse. Svantopelcus per Lithuanos, Pruthenosqve gentiles firmatus flores christianorum nunqvam non fregit. Qvare Guillelmus, cum ad terram oppressam ipse non perveniret, Svantopelcum per litteras et nuncios castigavit nihil tamen proficiens, cum ille non nisi minas redderet et verba ferocia: se a persecutione hostium suorum nedum propter legatum apostolicum, sed nec propter solum papam esse cessaturum, qvominus armis eqvis tam Polonos qvam Cruciferos vexaret *z*).

---

y) Acta Borussica II. p. 615. Qvibus negotiis Guillelmus implicatus videtur usqve ad a. 1245 aut 46, qvo Opizzo, abbas Messanensis, successor nominatur.

z) Dlugoss. hist. Polon. I. p. 701 cfr. hist. de l'ordre teut. I. p. 361 sqq.

Ex illa, qvam supra commemoravimus, epistola Innocentii IV intelligitur Guillelmum provectum esse ad ampliorem dignitatem episcopi Cardinalis de Sabina, unde tribus annis abhinc Gaufridus, nomine Coelestinus IV, solium Petri conscenderat *aa*). Münterus in numero decem eorum, qvi die trinitatis a. 1244 cardinales creati sunt, Guillelmum fuisse existimat *bb*); nisi forte dignitas cardinalitia Guillelmo donata ad tempus maturius referenda sit, qvoniam in veteri tabula d. a. 1244. X cal. Febr. de privilegiis qvibusdam conventui Virzillacensi concessis nomen Guillelmi, episcopi Sabini, subscriptum legitur *cc*).

---

aa) Murator. Script. rer. Ital. III. p. 589.

bb) Magaz. I. p. 98; cfr. Raynald. II. p. 309 et duæ vitæ Innocentii IV apud Murator. III. p. 589 et 592.

cc) Raynald II. p. 341; cfr. Du Fresne sub voc. galerus. Ipsam tiaram rubram, galerus cardinalium qvæ dicitur, a. 1244 cardinalibus concessam (ut plerisqve v. c. Conring. antiqvit. acad. p. 354 ed. Heumann placet) dubitari potest, cum auctore Nicoldo de Curbio (vit. Innoc. IV. c. 21 apud Murator. l. c.) pontifex cum rege Gallorum Cluniaci a. 1246

In epistola, qvam (d. III cal. Dec. a. 1244) Guillelmus ad Hugonem, priorem Cartusiæ, dedit *dd*), qveritur flebilibus modis,

congressus illud insigne distribueret cfr. Pagi gi breviar. pontif. Rom. III. p. 307 sq.

dd) Qvam epistolam, cum et in fatis et in moribus Guillelmi describendis memoratu digna sit, e Mabillonii anal. vet. p. 483 nov. ed. totam exscribere mihi liceat: "Venerabili et in Christo dilectissimo patri meo, domino Hugoni, priori Cartusiæ, sanctisqve fratribus ejusdem conventus frater Guillelmus, episcopus et cardin. Sabinus nunc, qvamvis indignus, permittente Deo cet. creatus, debitam obedientiam et devotissimas filii orationes. Afflictus miserandum in modum, pater fratresqve mei, sum, nec me gravabat in tantum episcopalis sarcina, qvanqvam immense qvantum premit; jam et incendit, qvod, opprobrium hominum et abjectio plebis, de stercore miserabili elevatus, ego sedere jam jubeor inter ecclesiæ *mundiqve* principes i. e. inter vigilantissimos speculatores, dormiens homo et cæcus, inter gubernatores fortissimos timidus miles, et canis, si non mutus saltem non audax, nec satis clypeo orationis munitus et armatura justitiæ, qvibus tectus venientia tela sine offensione excipiam. Vere humiliata est in pulvere anima nostra, conglutinatus in terra venter no-

qvod otium suum dignitate cardinalatus invito sibi mandata interruptum esset, itaqve vanâ

ster, Nihil nisi Cartusiam meam expetebam: ad hanc solam vota vitaqve mea suspirabant, et inspirabam qvotidie pontifici sancto, liceret mihi jam in extremis posito saltem in illa qviescere et cum patientia inter innocentissimos fratres meos, qvicqvid dierum reliqvum est, peragere. Parcat illi Deus! qvid et qvod facere vult! sepultum hominem ad hominas revocare, depositum in terribile curarum pelagus reponere, ut me honoris altitudo iterum resorbeat! Oro, pater, filio tuo in Christo indulgeas, et illa sancta multitudo, cui Deo auctore præes, uterinum monachum, ne dicam cardinalem, Guillelmum suum esse recordetur. Confidimus in vestris precibus; dumqve inter dubia auxiæ mentis meæ nullum aliud occurrit remedium, nisi ad Deum ipsum recurram, obsecro, supplicent ei Cartusiani mei, ut, qvi dedit honorem, ipse servet, et nos eam vitam donet ducere, qvæ tantæ dignitati par sit; donet, ut hæc tanti oneris speciosa, sicut corpus gravet, ita animum non opprimat, eaqve utiliter ad ecclesiæ suæ salutem valeat collaborare. ut illi et sanctæ sedi ingrata non videatur! Nonne et inimicis et perseqventibus vos benefacitis? nonne et miseris misericordes adestis? Recor-

ipse lactatus esset spe fore, ut cum Cartusianis tandem congregaretur; qvod ut sibi

---

damini confratris vestri, nec de numero vestrum aliqvem a principe tenebrarum capi patiamini. Sentiam, qvia jam tempus est, qvod semper de vobis speravi, et cum claves regni cælestis in manibus vestris sint, humili et devoto corde supplico, ut cæteris admissis me fratrem vestrum nullo modo a regno vestro excludi sinatis. Rediissem ipse ad vos, et, qvod scribo, ore maluissem dicere, nisi cæptum iter in Norvegiam, ad qvam de mandato summi patris nostri festino, impedivisset. Si Deo propitio inde sospes rediero, non præteribo, donec videam, qvos diligit anima mea. Interim, qvod præsens non possum, absens facio, totumqve fratrum collegium intimo affectu et affectuosissima devotione saluto, deprecans, ut pro me causaqve itineris mei mentium suarum turibula et orationum sanctarum veluti fumum aromatum in cælum emittant; qvibus pro officio, qvantum possum, ex parte omnipotentis Dei et purissimæ Virginis, matris Dei sanctorumqve omnium corde et ore benedico.„ Lugduni d. III cal. Dec. a. 1244. Hinc egregie apparet pietas et modestia Guillelmi, qvantiqve opera ejus a papa æstimaretur. Est cæterum unicus locus, qvi Guillelmum monachum Cartusianum fuisse (id qvod Ciacco

contingeret, ex intimo pectore optasse se sæpiusqve a papa veniam petiisse.

Innocentius IV, cum ne Genuæ qvidem se tutum putaret ab insidiis adversariorum, iterum profugit, et post multa discrimina rerum Lugdunum pervenit, receptaculum papæ extorri opportunum *ee*). Qvo in itinere tumultuario et difficillimo Guillelmum, episcopum Sabinum, comitem habuit *ff*). Guillelmus biennium fere Lugduni egit *gg*) transactionum particeps et facinorum, qvæ illu-

nius, Ughellius cit tacent) commemorat vid. Morotii theatr. ord. Cartusiani p. 63.

ee) Oppidum Lugduni, qvod ad regnum Arclatense pertinuerat, tum erat in potestate archiepiscopi Lugdunensis (Schmidt Gesch. d. Deutsch. III p. 46) et in medio regno principis potentissimi situm.

ff) Nicol. de Curb. vit. Innoc. IV c. 13 sqq. ap. Murat. S. R. I. III p. 592.

gg) Guillelmum a. 1245 Lugduni commoratum esse inter alia mihi exploratum est ex epistola protectoria, cui ad monasterium S. Canuti Othiniense indidem missæ Guillelmus Sabinus etiam subscripserit vid. Thorkelin: diplom. Arna-Magnæan. I. p. 148.

strissimo Germanorum principi demum erant fatalia potius qvam letalia. Innocentius IV, Gregorium VII agere cogitans oblitus est nullum sibi oppositum esse Henricum IV.

Cum Curones pagani christianos premerent, nec eo minus episcopus Rigensis ab ordine teutonico dissideret, Guillelmus pro munere legati curam gessit ecclesiæ, cui juvenis bene consuluerat, edixitqve a. 1245, ut Curonia expugnata inter eqvites et episcopatum distribueretur *hh*); deinde unacum Petro episcopo Albanensi et Johanne Tit. S. Laurentii in Lucina presbytero cardinali a. 1246 præscripsit, ut nullus in posterum esset episcopus Semigalliensis, verum, excepta tertia parte ordini teutonico concedenda, ecclesia Rigensis "primitiva et præcipua præ cæteris ecclesiis Livoniæ et Esthoniæ" Semigalliâ augeretur, qvo fortius paganis irruentibus resisteret; Henricus de Lettleburg, qvi episcopus Semigalliæ jam esset designatus, salvis commodis capituli Rigensis in episcopatum Curoniæ transferretur *ii*).

---

hh) Gadebusch. Livl. Jahrb. I, I. p. 244.

ii) Præterea cernitur ex hac epistola archiepisco-

Hæc qvidem sunt, qvæ de Guillelmo Sab. commemoranda existimavi, antequam transeatur ad alteram partem vitæ legationumqve ejusdem, annos si numeres, minorem; facta si animadvertas, eminentiorem nobis saltem, qvi sub arcto versamur.

7.

Motus intestini factionesqve, qvæ plus centum annos post ætatem Sigurdi Hierosolymipetæ Noryegiam misere vexaverant ad hierarchiam in eodem regno stabiliendam magnopere contulere. Turbis ejusmodi qvippe sæpissime efficitur, ut alter ordo alterum opprimat; in Norvegia autem singulares erant cau-

---

pum Rigæ tum esse constitutum cfr. hist. de l'ordre teut. I. 445 sq. Epistola ipsa legitur in Nettelbladt. fascicul. rerum Curlandicarum p. 150 sqq. Innocentius IV a. 1251 decretum cardinalium confirmavit; vid. Cod. diplom. Pol. T. V. n. XXIV. p. 17. Sed memoratu dignum est epistolam Cardinalium in bulla Innocentii confirmatoria ad annum octavum pontificatus ejusdem referri, a Nettelbladt autem aliisqve ad annum tertium pont. Innoc. cfr. Arndt Liefl. Chron. II. p. 46 sq. n. b.

sæ, cur ecclesiastici e motibus civilibus supe-riores discederent. Qvibus, cum tempori callidissime inservirent, superstitio egregie multisqve modis opem tulerit necesse. Judicia Dei, qvæ clero interprete ferebantur et exercebantur, ad lites de rerum summa dirimendas subinde adhibita sunt, cum jubere putarentur, qvinam legitimus esset hæres regni necne. Æmulo cuiqve videndum, ut clerum, qvi unus omnia posset, sibi conciliaret; verum benevolentia ejusmodi captanda candidato magni stare solebat. Ita, ut exemplo utar præclaro, Magnus Erlingi imperium occupatum vindicaturus confessus est regnum Norvegiæ se jure clientelari a S. Olao et sede Nidrosiensi accepisse *a*). Qvo factum, ut clerus et nominatim archiepiscopus Nidrosiensis ab eo, qvi suffragia sibi devincturus esset, commoda sua aucta volentes in certaminibus de rerum summa difficillimis firmitatis plurimum nanciscerentur.

---

a) Diplomat. Arna-Magnæan. ed. Thorkelin. II. p. 8 cfr. confirmationes Cælestini III. ibid. p. 13-18. cfr. Münter Reformat. Hist. I. p. 89 sq.

Princeps strenuus qvisqve v. c. Sverrius iniqva vincula, cum frangere conaretur, ultionem vulturiorum ipse et posteri senserunt. Haqvinus Haqvini vestigiis magni progenitoris insistens privilegiis ecclesiasticorum etiam cumulatis regnum emere negavit dictitans multum se, regem legitimum, a Magno Erlingi differre, qvi jure nullo imperium sibi arrogasset. Qva de causa Haqvino magnas inimicitias cum ecclesia habenti adversus complures factiones luctandum erat. Qvin natalium dedecus ipsi adspersum *b*). Fuit autem, postqvam in formam monarchicam hierarchia abiisset, arbiter Romæ, cui omnes ἐξουσίαι subesse cogerentur et justis limitibus coercerentur. Nec Haqvinus notam illam Gregorii sententiam: "Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho," tantum fastidivit, ut in opinionem sibi forte utilissimam non descenderet. Qvi igitur, cum sua magni interesse videret, ut regnum jure legitime nati sibi delatum auctoritate sollemni pontificis monstraret, mature admodum rogaverat, ut

---

b) Torfæi hist. Norveg. IV. p. 131. 140.

coronâ regiâ per legatum sedis apostolicæ sibi impositâ cælitus qvasi inaugurare tur. Sollemnia illa, qvæ in maximum regni detrimentum Magno Erlingi primo erant concessa *c*), qvæqve Sverrius, licet papa ejusdemqve legatus Fidentius precibus reluctarentur, ab episcopis regni sibi faventibus impetraverat *d*), nepos Sverrii viâ diversâ obtinenda duxit, cum Petrus Husastadensis ipse, qvi ope ipsius archiepiscopatui Nidrosiensi præfectus erat, fide cum veste mutata a partibus regis defecisset *e*).

In litteris, qvos Gregorius IX a. 1229 jam ad archiepiscopum Nidrosiensem et epicopum Bergensem scripserat, de petitione Haqvini fit mentio *f*). Clerum vero Norvegicum adversus regem in accusationem coivisse regemqve denuo Romæ desideria sua

---

c) Münter Mag. I. 24.

d) Ibid. p. 33.

e) Finni Johan. hist. eccles. Island. I. p. 229.

f) Access. ad rec. bullar. Celsii p. 21, nr. 1. Unde patet rem primum omnium archiepiscopo Lundensi et episcopo Scarensi examinandam fuisse, qvorum autem illum regi suspectum fuisse, hunc mortem obiisse.

edidisse crederem inveniens Gregorium IX a. 1231 episcopo Bergensi atqve Stavangrensi, qvi unacum abbate Stanleyano in suffragium archiepiscopi defuncti successerat, id negotii dedisse, ut de Haqvino jam jam inungendo sibi referrent, qvibus natalibus et qva conditione uteretur, nec non qvomodo esset electus *g*). Nescio an lites, qvæ tunc temporis cum Hohenstauffis pontifici erant acerrimæ, impedimento fuissent, qvominus hujus petitionis justa ratio haberetur; nisi forte ab altera parte causæ graviores intercederent, cur pontifex regi Norvegorum se facilem præberet.

Fridericus II, imperator, res Norvegicas, qvibus qvippe, rege et Skulio, duce, inter se contendentibus, sese interponebat, non solum non neglexit, sed etiam societatem et amicitiam Haqvini, qvem maximi æstimabat, per legationes ambivit *h*). Ut autem

g) Celsii bullar. p. 63 cfr. access. ad. bull. p. 23 nr. 5.

h) Torfæi hist. Norv. IV. p. 209. 242. Qvin a. 1250 (minime a. 1239 ut fert Messenius Scond. ill. XV. p. 36) imperator magno regi Norvegiæ reverentiam verbis honorificentissimis testificatus Lubecam pactus est, qva cum

Fridericus suas res confirmandas maxime curavit, ita Innocentius IV eo potissimum tempore, qvo inter se et adversarios decertandum erat, et Fridericus fastigio sedi apostolicæ formidoloso deturbandus, minime sibi defuit, qvin omnes Europæ principes, Haqvinum non ultimum partibus suis adjungere studeret. Litteræ pontificis blande et perhumaniter scriptæ illaqve studia præ se ferentes *i*) Haqvinum acrius impulerunt, ut *sollemnia* coronationis et inaugurationis sacræ etiam atqve etiam flagitaret.

Pontifex pridem cogitaverat legatum in Norvegiam mittere et Guillelmum, ep. card. Sabinum, huic legationi maxime idoneum destinaverat *k*); at opportune admodum a. 1245, qvo celebratum illud concilium adversus Fridericum habebatur, Lugduni apparuerunt nuncii regis Norvegici, Abbas Cisterciensis

---

urbe Haqvino multo fuerant contentiones (Torfæi IV. p. 263 sq. Gebhardi Norg. Hist. II. p. 35 cfr. diplom. Tkork. II. p. 36).

i) Torfæi h. N. IV. p. 243.

k) Id qvod docent litteræ supra laudatæ, qvas ad Hugonem Cartusiæ dabat Guillelmus.

de Hoducdheia †) et canonicus Nidrosiensis, qvibus mandata regia commissa erant *l*). Sunt, qvi dicant Haqvinum pro inauguratione obtinenda et macula natalium delenda 30000 marc, arg. pontifici donasse *m*). Nec inanem illum aut ad largiendum restrictum tanto beneficio fore ornatum facile sibi persvadebit, qvicunqve sacram auri famem, cujus explendæ curia Romana semper avidissima, cognitam habuerit et simul animadverterit, qvantum argenti tum maxime profunderent papæ Fridericum perdituri *n*).

Guillelmo in Norvegiam abituro Innocentius duas præmisit epistolas (d. III cal. Nov. et id. Nov. a. 1246), qvibus cum regi legatum commendasset, utpote cui munus legati apostolici in partibus Norvegiæ et Sveciæ commissum esset *o*), homines ecclesiasticos

†) Hoducdheia i. q. Hovetöe, monasterium Asloense.

l) Messenii Scond. ill. II. p. 34.

m) Suhm Historie X. p. 94.

n) Cfr. Schmidt Gesch. d. Deutsch. III. p. 23. 49.

o) Innocentius IV, qvo vincula hierarchiæ laxiora arctius constringeret, qvatuor nuncios Lugduno ablegavit ad varias gentes (Nicol. de

et proceres dicto audientes et officiosos se gerere jubebat, fidemqve regi faciebat defectum natalium, ad qvem adversarii provocarent, nunqvam ipsi fore obstaculo, qvominus imperium retineret, dummodo erga clerum pium se præstaret ad instar priorum regum Norvegiæ, "qvi inter principes catholicos fide et pura devotione claruissent, et ecclesiæ singulares produxissent gaudiorum delicias„ p).

Münterus illustr. episcopum Sabinum cal. Nov. a. 1247, anteqvam in Norvegiam venisset, coronationi Guillelmi, comitis Hollandiæ, interfuisse tradens auctorem vitæ Innocentii IV erroris arguit; verum anachronis-

---

Curb. vit. Innoc. IV. c. 17). Neminem, si præsentem rerum statum et primaria consilia curiæ Romanæ mente teneat, fugiet utiqve legatis dimissis id negotii inprimis datum fuisse, ut principes Europæ ad novas res sollicitarent, et pecunia, qva hostes armare possent, undiqve corrasa genti Hohenstauffieæ fasces frangerent interitumque pararent. Matthæi Westmonast. flor. hist. p. 335 cfr. Matthæi Paris hist. maj. (ed. Paris.) p. 487.

p) Raynald. ann. II. p. 358 Thorkel. diplom. p. 27.

mum committit, ni fallor, sibiqve repugnat q). Nicolaus de Curbio r) suo qvidem jure contendit Guillelmum Sab. legatione perfunctum unacum Petro, card. S. Georgii, inaugurationem solennem Guillelmi, comitis Hollandiæ, Aqvisgrani obiisse. Postqvam Henricus Raspe, comes Thuringiæ, a. 1247. imperium cum vita posuerat, de altero imperatore, qvi Friderico II opponeretur, pontifici erat providendum. Sors tam multis repulsa Richardo, diviti Cornubiæ comiti, obvenit, dein vero Guillelmo Hollandiæ comiti; qvi ut ab archiepiscopo Moguntino, Trevirano et Coloniensi feriâ qvintâ post festum Michaelis a. 1247 rex Romanus designaretur, Petrus Capucius, legatus sedis apostolicæ, auctor fuit s). Cui rei Guillelmum nostrum,

q) Mag. I. p. 98 not. 7 cfr. p. 99 sq.

r) Vit. Innoc. IV. c. 22. Dummodo pro voc. Norvegia substituatur voc. Septemtrio. Nec absurdum Nicolaum hac in re errasse, qvoniam Guillelmus in Norvegiam præsertim tendebat. Nicolaus autem Guillelmum a. 1244 Norvegiam petiisse narrat cfr. c. 17.

s) Chron. Alberti Stadens. p. 317 cfr. Gesch. d. Nunc. I. p. 215 Lünig spicil. eccles. contin. III. p. 259.

qvi a d. XV cal. Jul. anni ejusdem inde in Norvegia commoratus esset, abfuisse per se omnino patet. Nil autem obstat, qvominus legatus e Svecia redux factus, siqvidem decreta, qvæ in Svecia novissima edidisse fertur, mensem Julium a. 1248 non superent, sollemni inaugurationi Guillelmi Hollandiæ eodem anno (cal. Nov. die dominico) Aqvisgrani peractæ interfuisse putetur *t*).

Guillelmus Sabin. in Norvegiam perrecturus per Angliam iter facere decrevit. Henricus III vero, cui nuncius qvisqve sedis apostolicæ minime læti ominis esset *u*), legatum,

---

t) Matthæi Paris. h. maj. (ed. Paris.) p. 502. Collect. amplissim. ed. Martene & Durand. IV. p. 1103 cfr. Raynald. II. p. 399.

u) "Papa legatos sub specie simplicium nuntiorum potestatem tamen habentes legatorum undiqve destinavit, qvi multifariam exegerunt pecuniam nunc prædicando, nunc supplicando, nunc excommunicando, nunc procurationes exigendo; per regnum Angliæ multos extorres reddiderunt et mendicantes. Et ut thesauros omnium efficacius emungerent, et pecuniam undiqve colligerent qvasi ad succursum terræ sanctæ (cujus tamen pecuniæ voluit suos, qvos ad hoc ordinaret, esse col-

qvem aditu prohibere voluisset, jurejurando obstrinxit, ut terram a portu Dubris ad portum Leunæ pervaderet absqve ullo regni et ecclesiæ detrimento; verum episcopus Sabinus, qvi hic alio, qvam solet, habitu nobis apparet, promissis non stetit, qvin tres menses inter Britannos transigens per nuncios ad episcopos et abbates ablegatos procurationes exigeret prètiosaqve munera, ita ut præter alimenta qvatuor millia marcarum e regno secum exportaret, nunqvam vero oblitus apud populum tanqvam mercedis loco concionari. Navis, qva in Norvegiam trajecturus erat, "instar arcæ Noachi„ splendidissime instructa est. Qvo facto Guillelmus Britanniæ Britannisqve munificis bene precatus mari arctoo se suaqve commisit.

---

lectores et dispensatores, nec tamen inde unqvam ecclesia promotionem sensit) monuit papa, servus servorum Dei omnes Christi fideles!„ En testimonium coævi anglicani Matthæi Parisii h. m. p. 274 cfr. 299 sq. cfr. Hume history of England II. p. 144 sq.

a) Matth. Par. p. 490 sq. cfr. Matth. Westmonast. flor. hist. p. 338.

Fertur Britannos qvosdam iter ad Norvegos Guillelmo dissvadere voluisse, qvoniam essent et barbari et *egeni*; Guillelmum autem respondisse gentem jam dudum sibi esse commendatam, utpote cultus numinis religionisqve christianæ tenacissimam sapientissimoqve regi subjectam. Prius se in Norvegia fuisse; visum qvoqve archiepiscopum virum excultis moribus tantæqve dignitati idoneum, etiam episcopos doctrinæ morumqve laude conspicuos cet. *x*).

8.

Jam perventum est ad eam Guillelmi legationem, qvæ ab historiographis Norvegiæ celebrata doctisqve Münteri curis *a*) adeo illustrata est, ut mihi solum racematio qvasi relinqvatur. Sed ne in hac qvidem operam plane irritam me dedisse putaverim.

Guillelmus adulta æstate a. 1247 Norvegiam tetigit. Animus mox convertitur ad eam de propriis commodis contentionem, qvæ

---

x) Torfæi h. N. IV. p. 246.

a) Magaz. f. Kircheng. u. Kirchenr. Nord. I. p. 98 sqq.

in negotiis Norvegicis legato transigendis manifeste cernitur. *Rex* fracto spiritu cleri imperium tueri et firmare molitus est; qvod eum asseqveretur, unus ille putandus est in hoc discrimine victoriam reportasse. Qvæ autem *clerus* Norvegiæ affectabat, commoda omnino fuerunt contraria. Dies enim gloriosos illos, qvibus Magnus Erlingi coronæ ergo salutem patriæ ipsi prodiderat, in animo versans, privilegia nimis confirmari sibi et augeri cupivit. *Legatus* usus deniqve cunctis rebus, qvibus gaudet seqvester insignis qvisqve, fuit unice intentus, qvomodo placita ecclesiæ Romanæ et qvidem papalis, qvalia tum usu venerant, et in ecclesia et in civitate Norvegiæ imprimerentur; qvocirca ille profecto personam egit difficillimam; cui summa calliditate opus erat, ne certamine ancipiti vinceretur. Verumtamen consilia, qvæ prudentia civilis curiæ Romanæ tunc temporis svadebat, legatum sedis apostolicæ regi ita totum se dare jusserunt, ut Guillelmus a partibus cleri minus staret, qvam de homine ecclesiastico esset sperandum. Legati erant

qvasi brachia paparum; qva mente itaqve regantur eadem, si inveneris, non latebit causa, cur huc illuc porrigatur, alteri palpetur, alterum vero percutiat manus. Credibile est sedis apostolicæ plurimum interfuisse, qvo ampliori loco in Norvegia poneretur dignitas episcopalis et archiepiscopalis *b*), nisi forsan (id qvod pro certo affirmare non ausim) timor obstiterit, qvalis nonnunqvam alias papam anxium habuisse fertur, ne scilicet caput nimis attollente archiepiscopo Nidrosiensi (qvi primatui Lundensi non parebat †) detrimenta caperet dioecesis romana et imperium pontificis. Sed in historia pontificum et hierarchiæ romanæ exponenda utiqve justum discrimen, ut Justino Febronio videtur, ponendum et observandum est inter consilia artesqve sedis apostolicæ atqve curiæ Romanæ, qvamvis pontificii utraqve vere discriminata

b) Negari qvidem neqvit, qvin vere æqve ac ingeniose judicet Aventinus (hist. Bojor. VII c. 4. nr. 15 & 16) vires pontificum increvisse ab eo præsertim tempore, qvo episcopi *gratiâ sedis apostolicæ* nec *solâ Dei miseratione* electi nominarentur.

†) Neumann hist. primatus Lund. p. 65 sqq.

et disparia esse nolint. Legatum vero utriqve parti inservire oportebat.

Guillelmus Sabinus cum Norvegiam intrasset, nemo non variis consiliis adductus benevolentiam viri, qvem verebatur, captare studuit. Nec sibi defuit ille, qvin auctoritatem in rebus incertis tám necessariam qvovis modó firmaret. In oratione, qvam brevi post adventum habebat, animos vulgi convertit fortunatos judicans, ad qvos pontifex pro singulari gratia episcopum Cardinalem misisset *c*). Atqve in epistola, qvam præterea dabat, dominum sese et judicem cleri haberi velle parum dissimulavit, promulgans *d*) ad papam sive legatum ejusdem, si qvis archiepiscopo ipsi actionem intendere vellet, eundum esse. Neqve tamen ultra mandata pontificia qvid sibi arrogavit *e*).

Clerici, simulac jubente legato convenerant, per nebulam minime indicarunt spe-

c) Torfæi h. Norv. IV. p. 247.

d) Thorkel. diplom. Arna-Magn. II. p. 29.

e) Raynald. ann. eccles. (ed. Lucæ 1747) II. p. 358 sq.

rare se futurum hunc etiam, qvalem sedis apostolicæ legatum a tempore Erlingi et Sverrii inde habere consvevissent. Id qvod Sverrium deturbaturi a Fidentio card. impetraverant *f*), a Guillelmo qvoqve contra nepotem Sverrii simillimum sibi concessum iri fisi sunt, fore nimirum, ut rex prius non inaugurareter, qvam commodis ecclesiæ, nimiis dudum, consuluisset. Guillelmus præsules potentissimos, qvoad salvis desideriis, qvibus inprimis inhiabat, fieri poterat, deficere ac offendere nolens, eam qvidem, qvam clerus optabat, conditionem regi tulit. Sed posteaqvam resciverat malle regem beneficio coronationis sese abdicare qvam vinculis hoc gravioribus se et populum oneratum iri, tantum abfuit, ut ea de causa regi coronâ interdiceret, atqve adeo rationes iniret severiores, ut ejusmodi petitionibus cleri aures porro præbere recusaret. Unde factum, ut repulsam non minus ferrent ecclesiastici Guillelmum post inaugurationem regis flagitantes, ut inunctum nihilosecius ad nonnullos regni reditus sibi

---

f) Münter Mag. I. p. 33.

impertiendos compelleret. Cleri erat impotentis mirari et fremere, cum legatum audiret rogantem: ut qvibusdam beneficiis ecclesiasticis reipublicæ pariter cederet ipse; in qvam conditionem nisi descenderet, precibus se utiqve parere nolle *g*). Qvod tamen constantia regis et consilium legati tum fieri vetabant, clericis postmodum contigit, cum exiguum qvid rependentes et jure ambiguo decedentes per transactionem *h*) inter Magnum, Haqvini filium, *Lagabæter* qvi dicitur, et Johannem, archiepiscopum Nidrosiensem a. 1277 votis immodicis potirentur.

Causa si qværitur, cur ita in clerum legatus consuluerit, nil est aliud, qvod respondeatur, qvam regis amicitiam magis ipsi cordi fuisse, majoremqve cleri insolentiam, qvam ut sanctitas viri pateretur, nedum indulgeret. Qvid autem inprimis sibi voluerit, sæpius jam indicatum. Matthæus Parisius, auctor æqvalis et fide dignus, certiores nos reddit,

---

g) Torfæi h. Norv. IV. p. 250.

h) Finni Joh. h. e. Isl. I. p. 386 sqq. Pontoppid. I. p. 741 Torfæus IV. p. 354 cfr. Münter Reformat. Hist. I. p. 94 sq.

qvod ex ipso regis ore audiverat, eundem ad hostes ecclesiæ impugnandos semper paratum se professum esse, sed non habere, cur inimicos papæ adoriretur *i*). Qva de causa artes curiæ Romanæ probe edoctus et æqve abominatus Haqvinus, cum loco Guilleimi, Hollandiæ comitis, qvi a. 1256 decessit, a pontifice ad dignitatem cæsaream vocaretur, omnino tergiversatus est.

Nescio sane, num incerta spe vagisqve promissis Norvegus episcopum Sabinum lactaverit, an hic, donec rex coronationem obtinuisset, mandata sua temere distulerit *k*). Sed festo S. Olai (d. IV cal. Aug. a. 1247) sollemnia inaugurationis regiæ per legatum sed. ap. rite instituta sunt *l*). Mihi qvidem

---

i) Matthæi Parisii h. maj. (ed. Paris.) p. 506. Torf. h. N. IV. p. 265 Gebhardi Norg. Hist. II. p. 36.

k) Id qvod Matthæus Parisius (p. 487) putare videtur.

l) Ritus illius festi accurate describendos prætermittimus; qvi fusam velit enarrationem sollemnium, adeat ille Torfæum (h. Norv. IV. c. 34 & 35) cfr. Gebhardi N. Hist. II. p. 33 sq. Suhm Hist. X. p. 89-94.

verisimillimum videtur Guillelmum æqvi beniqve consuluisse promissum aliud prius factum in expeditionem sacram regem iturum esse m). Qvod vero Matthæus Parisius scriptum reliqvit, pontificem eo consilio tertiam partem proventuum ecclesiasticorum Haqvino concessisse, Spondanus ita emendatum vult, juxta autographam Innocentii IV epistolam, ut nonnisi trigesima pars ad triennium illi permissa fuerit n). Guillelmum hujusmodi promissum satis habere coactum persvadet constantia regis diu spectata inqve tyrannide hierarchica respuendâ inexorabilis, svadent etiam mens Christo devota religionesqve, nondum qvippe deferbuerat crucesignatorum furor qvamvis senescens. Neqve Guillelmo fortasse difficillimum tum visum est milites Christi in pontificios convertere hostesqve crucis cum adversariis clavium permutare: id qvod Fridericus II exagitatus Christi miles,

---

m) Spondani continuat. annal. Baron. I. p. 163 cfr. Raynald. ann. II. p. 359.

n) Contin. ann. Baron. I. p. 166 cfr. Wedel Simonsen om Nord. Valfarter og Korstoge. p. 140 sq.

ipse cum in eo esset, ut sepulcrum Servatoris infidelibus eriperet, in fraudem nominis christiani absens expertus est, sed præsens ultus est o). Utcunqve res est, Haqvinus promissis male stetit et spem pontificis frustratus est; qvi licet a. 1248 a Ludovico IX, rege Francogalliæ, cujus, cum in terram sanctam iter qvoqve pararet, societatem itineris recusaverat, veniam impetrasset, ut in Gallia de rebus ad iter necessariis sibi prospiceret, expeditionem nunqvam tamen ingressus est †). Latet qvidem, cur fidem fefellerit, plures autem cogitari possunt causæ. Per casus duorum fere sæculorum atqve recentem Ludovici IX calamitatem tandem manifestum fuit, nil nisi cladem tristissimam ex discriminibus tantis in *respublicas* fluere, ac vulgo persvasum esse cæpit ne *ecclesiam* qvidem e pecunia, quam papa per suos collectores et dispensatores qvasi in succursum terræ

---

o) Moser Gesch. d. Nunc. I. p. 182.

†) Idqve licet prædicatores et minoritæ pro mandatis Innocentii IV vehementer instarent cfr. Wadding. ann. Min. III. p. 246 (214) & 498.

sanctæ corraderet, fructus unqvam capere *p*). Nescio deniqve, an Haqvino in opinionem venerit velle papam non tam hostes Christi qvam Gibellinos per arma sua debellari, indigneqve tulerit *q*). Ut rex opinatus est, ita rem evenisse reperimus. Papa a. 1255 præcepit, ut expeditione in Siciliam facienda, ubi inimici Christi gravius premerent, Norvegi vota persolverent *r*). Innocentio IV scilicet tunc temporis in animo fuit regnum Siciliæ sibi subjicere, sed arma Manfredi fecerunt, ut opem externam sibi deposceret *s*).

Rationes dum recensentur, qvæ regem Norvegiæ inter et Guillelmum, legatum sedis apostolicæ, intereesserunt, a re nostra alienum non est animadvertere, qvi hic ad rempublicam Islandiæ evertendam auctor fue-

---

p) Vid. Matthæi Paris. h. maj. p. 274.

q) Cfr. supra p. 85 sq.

r) Rymer. Act. publ. T. I. P. I. p. 195 edit. tert. Gebhardi N. H. p. 35.

s) Cum papa Siciliam, *feudum* qvasi *receptabile*, revocare non posset, Carolo Andegavensi inauguratiorem beneficiariam concessit. Forsan Romæ satius fuisset Haqvinum qvam Carolum Andegavensem ad partes vocare.

rit et svasor. Insulam litteris potius qvam legibus moribusqve florescentem Haqvinus jam pridem (a. 1220 per Snorronem Sturlæum *t*) et a. 1235 per Sturlæum Sighvati *u*) in suam potestatem redigere conatus est. Guillelmus Sab. deniqve, qvo factionibus cædibusqve et bellis creberrimis, qvibus Islandia justo moderamine carens laboraret, finem faceret, a. 1247 regem cohortatus est, ut expugnationem insulæ serio ageret *v*). Fert opinio qvoqve res ecclesiasticas in eadem insula pro turbis omnium sic æstu fluctuasse, ut legatus terram cum Norvegiâ arctius conjunctam voluerit, neqve non regem consentientem habuerit. Henricus, Caroli filius, a Guillelmo ipso, ut ajunt, inauguratus dioecesi Holanæ ab Haqvino obtrusus est *x*). Thordus Sighvati atqve Sigurdus, episcopus Skalholtensis, a cardinali et regi impulsi, insulanis qvovis modo persvadere conati sunt,

t) Torfæi h. N. IV. p. 147 & 151.

u) Finni Joh. h. eccl. Isl. I. p. 379 sqq.

v) Suhm X. p. 96 Torf. p. 251 Finni Johan. h. I. p. 233.

x) Ibid. p. 363.

ut regi se dederent y). Sed a. 1264 demum consecuta est deditio totius Islandiæ.

Guillelmum itaqve in ecclesia et civitate inter se et cum curia Romana conciliandis occupatum singulas res ecclesiæ Norvegicæ constituere deinde videbimus.

Legatus sollemnibus inaugurationis regiæ celebratis cum rege, optimatibus et ecclesiasticis multum deliberavit. Qvibus ex consultationibus profectæ sunt illustres illæ constitutiones Bergenses z) eo valentes, ut securitas regni conservaretur, atqve salus ordinum inferiorum ab injuriis esset incolumis. Qvemadmodum Nicolaus Breakspear fere sæculo abhinc de rebus Norvegiæ emendandis bene meritus laudem caritatemqve consecutus erat aa),

---

y) Finni Joh. h. e. Isl. I. p. 374.

z) Hæ constitutiones unacum confirmationibus Haqvini (a. 1247) et Innocentii (a. 1248) ad membranas Arna-Magnæanas in extenso expressæ inveniuntur in Finni Joh. h. e. I. I. p. 568 sq. p. 257 sqq. et p. 233 sqq.; Thorkel. diplom. Arna-Magnæan. II. 28 sqq. cfr. Torfæi h. N. IV. c. 35 Münter Mag. I. p. 104. sqq.

aa) Münter Mag. I. p. 16 sqq.

ita Guillelmus eâdem vjâ incedens amorem reportavit Norvegorum.

In epistola, qvam XVII cal. Sept. a. 1247 Bergis dabat, plurima juxta canones instituta esse declarat: 1. "jurisdictionem ecclesiasticam penes clerum esse, cum causæ nullæ, qvæ ad forum ecclesiasticum pertinere censerentur, ad judicia laicorum trahi solerent, nisi si homo sacer in causis sæcularibus profanum accusaret." Qvæ jurisdictio qvanti momenti! Eo modo factum est, ut clerus statum componeret in statu, et hierarchia in monarchiam sensim abiret, qvoniam peremtoria rerum transactio ad tribunal Petri relegaretur, sicuti Guillelmus in eadem illa epistola præcipit. Jurisdictionem autem ecclesiasticam, qvam dixi, qvæqve per pactum Tunsbergense a. 1277 inter Magnum Haqvini filium et Johannem-archiepiscopum factum plane sancita est *bb*), Cælestinus III bullis dudum a. 1194 & 1197 inter comminationes pœnarum præscripserat *cc*). 2. "Electionem

bb) Finni Joh. hist. eccl. I. p. 389 sq.

cc) Thorkelin: diplom. II. p. 14 et 17 Pontoppid. ann. I. p. 488.

episcoporum scribit et antistitum juxta canonum absqve interventu laicorum c prorsus concessam esse." Auctoritas re in præsule capiendo cernebatur in asse modo, qvem tamen Haqvinus Haqvini tificis amicitia fretus, cum in Petrum H stadensem dignitatem archiepiscopi Nidros sis deferri cuperet, prospere adhibebat At omnis regum vis et auctoritas ab elec nibus præsulum per pactum Tunsbergens mota est *ee*). 3. Neqve non jus patron clero Norvegico relictum esse *ff*) Guillel litteris suis indicat, tribus sacellis exce modo, de qvibus esset qvæstio inter regi et episcopum Stavangriæ. Qva de re leg edixit, ut, donec regina filiiqve ejusde vivis essent, jus patronatus ipsis conces

dd) Finn. Joh. I. p. 229. Privilegium epis rum eligendorum tam grave per pacti Magni Erlingi (Thorkel. II. p. 10) et b Cælestini III a. 1194 (ibid. p. 13) Norvegico obtigerat.

ee) Finn. Joh. I. p. 390.

ff) Cfr. Raynald. ann. eccl. II. p. 366.

maneret *gg*), his autem defunctis ad episcopum supra dictum reverteretur. Sed jus patronatus perpetuum, qvod Haqvino in ecclesia provinciarum vicinarum, qvas ad fidem adducturus erat, ex dono Innocentii IV *hh*) competebat, posthæc impetratum sit necesse, cum hoc loco a Guilleimo non eximatur. Verum jure patronatus hocce etiam in capellis a se fundatis et dotatis, rex denuo cedere coactus est per pactum illud Tunsbergense, qvod maxime totam repræsentat ideam hierarchiæ, qvalis in Norvegia sub finem sæculi XIII adoleverat. Qvantum vero firmitatis hierarchia ibidem ante jam esset nacta, istæ litteræ Guillelmi Sab. satis indicio sunt.

Ex epistola eadem patet etiam, qvantopere jus fortioris et licentia continuis factionibus seditionibusqve orta et adaucta Guillelmo curæ fuerit, siqvidem sacris et pace ecclesiæ

gg) Jus patronatus templi conditoribus et donatoribus olim permitti solitum erat. Glossar. Du Fresne sub voc. patronatus; cfr. Lagerbring. Svea. Rik. Hist. II. p. 134.

hh) Spondan. cont. ann. Bar. I. p. 163. Raynald. l. c.

interdiceret, qvicunqve adversus regem et regnum novas res moliretur. Qva in re an Guillelmus ad expeditionem sacram, in qvam Haqvinus esset iturus, respectum habuerit singularem, utiqve nescio, solemne qvippe pontifici regna bonaqve principum absentium in fidem et tutelam recipere *ii*). Item exsecratus est, qvicunqve jura spernens e bonis cujusqvam aliqvid sibi arrogaret. Qvod si bona direpta in manibus et custodia ecclesiæ et clericorum essent, injuriam coram judice sanctæ ecclesiæ æstumari jussit. Id qvod Johannes, archiepiscopus Nidrosiensis, postmodum confirmavit *kk*). In eadem constitutione Guillelmus deniqve excommunicationem intendit, si qvis sanctimonialem de fornicationis peccato interpellaret, potestatemqve loco suo ligandi et solvendi in manus dioecesanorum deposuit. Seqventi die (XVI cal. Sept.

ii) Ut exemplo utar ex hoc sæculo, Gregorius IX a. 1238 in tutelam recepit terras Ottonis Brunsvicensis in expeditionem sacram contra Pruthenos abituri. Orig. Guelph. IV. p. 171 sq.

kk) Finni Joh. h. e. J. I. p. 456.

a. 1247) alteram Guillelmus constitutionem edidit, tam ut afflictis rebus vulgi succurreret, qvam ut vitia qvædam in rebus ecclesiasticis emendaret.

In Norvegia nempe, "terra, qvam dicit, tribulationis et angustiæ in novissimis partibus aqvilonis constituta„ ut agricolæ, qvia præter paucissimos dies a medio Junio usqve ad exitum Augusti ingenti et continua pluvia impedirentur, qvominus agros ararent et conserérent, ad opera rustica facienda atqve pisces capiendos opportunitati cujusvis diei secundæ uterentur, qvam esset necesse, legatus ipse sibi persvasit vel per alios edoctus. Cum igitur "liber qvidam extraordinarius in vulgari Norvegorum scriptus„ (sicut appellat Guillelmus jus ecclesiasticum, qvod Sigurdo Hierosolymipetæ vulgo tribuitur *ll*), qvodqve tractavit *mm*) Finnæus) ab opere qvolibet vel maxime necessario diebus festis rusticos prohiberet Norvegicos, severitatem ejusmodi naturæ cæli ac soli parum adeo invenit accom-

ll) Münter Beyträg. z. Kircheng. p. 365.

mm) Tentamen circa jus ecclesiast., qvod *priscum* dicitur.

modatam, ut incolis permitteret halece
pere, qvandocunqve occasio daretur, ne
non diebus festis ruri opus facere, qv
pro consensu omnium intemperies cæli
diebus fieri vetaret. Cæterum est illud
ceptum de licitis operibus legibus serioris
tis admodum temperatum nn).

Inter mala vitia, qvæ in regimine e
siastico Norvegiæ serpserant, hoc emi
qvod episcopi reditus ecclesiarum vacan
sibi sumebant, qvin etiam eadem de
munera ecclesiastica diutius vacua maner
riebantur. Qvod qvidem tantopere in
mentum ecclesiæ factum fieriqve pontific
sum, ut nonnisi rarissime hac in re con
ret oo). Talia vero, qvæ sibi postea res

---

nn) V. c. Magni Lagab. leg. Heids. jur. ec
9. Leg. Gul. Magni Lag. jur. eccl. ann
24 sqq. vid. collect. Paus. II. p. 276.
222 sqq. Jur. eccl. Joh. archiep. c. 25
& 35.

oo) Matthæus Parisius (hist. maj. p. 471
1246) narrat e. c. archiepiscopum Cant
ensem, permittente papa, annatis frui
dioeceseos.

bat dictator christianus, suo marte absqve numine omnia regentis usurpare Romæ improbatum. Qvocirca Guillelmus inter minas præcepit, ut ecclesiis vacuis oeconomus præficeretur sive procurator ad reditus in rem successoris aut ecclesiæ colligendos. Qvartam partem decimarum, qvæ ecclesiæ nominatim redire deberet, per episcopum et procuratorem ejusdem recipi aut minui omnino vetuit. Sed non cavit solum, ne bona ecclesiæ dilaberentur, verum etiam dilapidata eidem restitui voluit. Sin autem ecclesia, qvam depeculati essent, forsan esset deleta, dona reddenda ecclesiis vicinis retribui jussit.

Ut diserte legitur Guillelmum Sab. propter qverelas ruricolarum ad hæc statuenda commonitum esse, ita perspicuum qvoqve clericos inferioris ordinis de episcopis conqvestos; qvæ nunc seqvuntur, effecisse. Episcopis enim legatus interdixit, ne, qvoniam ecclesias non adeuntibus census pro visitatione non competeret, circadas *pp*) exigerent pen-

---

pp) Censum, qvem episcopi *circumeuntes* obtinent; vid Glossar. Du Fresne sub h. v. De perditis visitatorum moribus cfr. Theodori-

sionemqve, qvam sacerdotes, qvotqvot a visitationibus liberari vellent, solvere cogerentur; nisi si morbis forte vel negotiis necessariis impedirentur. Qvo interdicto Guillelmus iniqvitatem episcoporum in cogendo xenio *qq*) et cathedratico *rr*) circumscripsit.

Alia præterea Sabinus episcopus in jure Norvegico emendavit, qvorum duo præsertim hujus loci est paucis commemorare. Edixit qvippe, ne cui, nisi legitima nomina defuncti expediret, hæreditas obveniret; id qvod cum legibus antiqvis plane conveniebat

---

cus de Niem. (Nemor. un. Tract. VI c. 35 p. 377 sq. apud Pontopp. II. p. 26 sq.)

qq) ɔ: Hospitium episcopis visitantibus gratis concessum, cujus loco, etiamsi haud visitarent, tributum tamen exegerunt v. Finn. Joh. h. e. J. I. p. 234 not. b. cfr. Joan. Saresberiens. Policraticus s. de nugis curial. l. V. c. 15.

rr) Ita dicitur dimidia pars oblationum, qvas cætus sacer qvotannis die ecclesiæ consecratæ antistiti largiebatur; vid. Münter Reformat. Hist. I. p. 133. Pontopp. I. p. 244.

ss). Qvid? qvod? auctoritate Guillelmi nostri *ordalia* abrogata feruntur *tt*); nec sane repugnat jus ecclesiasticum Johannis archiepiscopi editum a. 1270, in qvo de probationibus hisce nulla fit mentio, sed loco earundem juramenta et testes viâ canonicâ reqviruntur. Judicia Dei, qvæ cum ingenio ævi olim conspirantia haud parvæ fuerant utilitati, exitiosa jam a moribus sæculi ita abhorrebant, ut ubiqve fere aut essent antiqvata aut antiqvarentur *uu*). In Norvegia, ubi in primis causis habentur probationes ejusmodi, cur motus civiles ab ætate Haraldi Gillii inde cum numero principum de summa rerum concertantium succrescerent, tantum abfuit, ut superstitio hæc etiamnum obsoluisset, ut Inga, mater Haqvini tum regnantis, gestatione ferri

---

ss) Leg. Gul. Haqv. Athelstani tit. hæred. c. 2: in collection. Pausian. I. p. 120.

tt) Finni Joh. I. p. 177 sq. Torfæus IV. p. 251. Münter Mag. I. p. 105.

uu) Ita v. c. Honorius III a. 1224 vetuerat, ne in judicium ferri candentis compellerentur neophyti Livonici vid. Mss. Bartholin. cfr. Daniam qvod attinet, Rosenvinge de usu juramenti &c. dissert. §. 3 p. 30 not. h.

candentis probare cogeretur filium Haqvino, Sverrii filio, vere ortum esse *vv*). Qvod si liqvet ordalia ab a. 1250 silentio prorsus prætermitti in rebus Norvegicis *xx*), Guillelmum auctorem hujus moris abolendi fuisse admodum verisimile est *yy*).

Hactenus disputatum est de constitutionibus Bergensibus, qvæ tantum celebratæ sunt. Episcopum Sabinum vero multa præterea instituisse et restituisse multasqve lites composuisse facile creditur. Ut taceam rixas vere sordidas inter Dominicanos Bergenses et canonicos ejusdem urbis, qvorum *domus privatæ* nares illorum infestarent, acerrime gestas, qvas legatus tandem diremit *zz*), alia

---

vv) Torf. hist. Norv. IV. p. 131 cfr. p. 141 sq.

xx) Finni Joh. h. e. J. I. p. 180 not. a.

yy) Qvod si constat, res magno argumento est jura ecclesiastica illa, qvæ in collectione Pausiana legibus Magni Lagabæteri Gulensibus et Heidsiviensibus annexa sunt, ætatis esse multo antiqvioris, siqvidem in iis adhuc de ordaliis mentio injiciatur (Collect. Paus. I. p. 233 c. 45 p. 301 c. 31.)

zz) Suhm Hist. X. p. 965 Pontopp. I. p. 662

succurrit res majoris momenti propter effectus remotiores:

Cænobium Nidarholmense (in insula sinus Nidrosiensis, ubi arx hodie, qvæ *Munkholm* audit, situm *aaa*) dolo et profusione Blörnonis Abbatis fortunis provolutum ab archiepiscopo Nidrosiensi tum etiam male audivit; qvi monachos faciebat reos, qvod moribus essent parum honestis atqve adeo regulæ Benedictinæ ignari. Qvæ in sæcularibus perturbata erant, qvoad fieri poterat, restituta sunt, in criminibus ecclesiasticis autem diluendis ad Guillelmum legatum provocarunt, qvi tamen (nescio qva de causa, nisi forte qvod archiepiscopum Nidros. offendere nollet) causam fugiens monachos appellantes ad pontificem relegavit *bbb*). Cujus de consilio itaqve Romam missi sunt, qvi ab Innocentio IV veniam impetrarent arcessendi Matthæum Parisium, monachum Benedictinum e cænobio S. Albani in Anglia ad disciplinam monasterii sui instaurandam atqve reformandam. E petitione fratrum perspicuum est,

aaa) Schiönnings og Suhms Forbedr. &c. p. 86

bbb) Münter Mag. I. p. 106. Torf. IV. c. 37.

qvanti æstimarentur Benedictini Britannici e conventu S. Albani, Matthæus præsertim; qvi vocatus ideoqve in Norvegiam profectus rem prolapsam correxit *ccc*). Qvæ qvidem res nobis est ponderis majoris, qvam intuenti statim judicetur. Huic nimirum scriptori rerum ecclesiasticarum ingenuo et locupleti, qvi præsentes sermones Haqvini laudare posset, multa debentur de rebus per hæc tempora in Norvegia gestis memoriâ digna, qvæ, nisi arsissent inimicitiæ istæ et Matthæum vocassent, nos forte latuissent.

Rebus gravissimis ergo bene constitutis Guillelmus Sab. in Sveciam sese recipere decrevit. Stavangriæ nec non Asloæ et Tunsbergis aliqvamdiu moratus Kongshellam se contulit, ubi synodum provincialem habebat *ddd*). Qva de re nil cæterum noscitur. Hoc unum in Mss. Bartholinianis reperi, eum capitulo Asloënsi statuta jussisse.

Moris fuit utiqve inter legatos sedis apostolicæ, ut avidis oculis circumspicerent, qvid

---

ccc) Hist. maj. (ed. Paris.) p. 506.
ddd) Münter Magaz. I. p. 107.

e laboribus mererent reportarentqve *eee*). Nec is sum, qvi Guillelmum nostrum crimine avaritiæ absolvere auderem; qvem coarguat non solum iter per Angliam factum, sed etiam legatio Norvegica, qvantumvis aliis nominibus salutaris esset legatoqve decora. Johannes Tusculanus, qvi a. 1286 in Svecia legati munere fungebatur, 70 marcis argenteis contentus fuit *fff*). At Guillelmus Sabinus 500 marcas multaqve dona pretiosa e Norvegia sibi ipse abstulit præter XV millia marcarum, qvas Haqvinus in mercedem coronæ acceptæ pontifici largiebatur *ggg*). Huc accedit, qvod Guillelmus Sigurdo, qvi a. 1230 archiepisco-

---

eee) Legas v. c. aspera crimina, qvæ Fridericus I, imperator, in legatos Hadriani IV injuriis et avaritia grassantes conjicit. Goldasti const. imper. I. p. 266.

fff) Lagerbring Sv. a. R. H. II. p. 733.

ggg) Pontopp. ann. I. p. 498. Rem in suspenso relinqvendam judicat Finnus Johan. (h. e. I. p. 378 not. π.) infirmis tamen rationibus adductus, ut puto: I. neqve enim erat hoc *clero* gratificari (qvod qvidem Haqvinus recusaverat) 2. nec egena adeo Norvegia post annos triginta, qvam Haqvinus Magnus ad imperium accesserat.

pus Nidrosiensis designatus erat, pallium tradidit. Qvod cum pluribus marcarum millibus qvoqve constare soleret *hhh*), manifestum est, qvantis divitiis onustus legatus Norvegiâ egressus sit.

Legationem Guillelmi Norvegicam, si spectaverimus in universum, qvid commodi attulerit rei ecclesiasticæ ejusdem regni, hierarchiam ibidem potius conditam exhibuisse et juvasse, qvam condidisse ipsam plane intelligetur. Hierarchia in Norvegia condita primos auctores habuit clerum ipsum aliosqve legatos pontificios v. c. Nicolaum Breakspear. Qvæ autem principes illi temporibus callide et diligenter inservientes patraverant, Guillelmus Sabinus in singulis emendare et perficere studebat; id qvod, si verum fatebimur, optime ipsi cessit. Minus qvidem ex sententia aut e mandatis saltem contigit votis curiæ Romanæ civilibus satisfacere.

9.

Inter Svecos hierarchia nondum eminuerat, qvantum inter vicinos. Hoc qvidem

---

hhh) Cfr. Pontopp. ann. I. p. 500. De ritu pallii tradendi ejusdemqve pondere con-

utrisqve fuit commune, qvod procul a Jove procul a fulmine aberant. Qvod cum terra esset sub aqvilone longinqva et ita comparata, ut ipsa natura societatem cum cæteris christianorum civitatibus qvodammodo intercluderet, cumqve ex imperio regionum dissitarum ac egenarum tenuiores Romam redundarent opes, facile factum est, ut diutius ibi maneret pristinus rerum ordo, neqve pontifices, tametsi nova principia hierarchica novaqve instituta ingerenda curarent, nisi tardius et per ambages qvasi proficere possent. Uti respublica Norvegiæ motibus intestinis lacerata fuerat, ita Svecia per sæculum fere factionibus et bellis Sverceridarum et Ericidarum de rerum summa certantium oppressa erat. Sed clerus Sveciæ tanta arte ad tempora sese accommodare opportunitateqve uti nesciebat, qvanta clerus Norvegiæ. Svercherus, Caroli filius, homines ecclesiasticos judiciis civilibus exemit, immunitatemqve domibus agrisqve ecclesiæ concessit a); et Jo-

a) Cramer Fortsetz. von Bossuet. III., p. 653 sq.

b) Rühs Gesch. Schwed. I. p. 161.

hannes, Svercheri filius, privilegia clero a patre impetrata sanxit *b*). At nullo tamen Magno Erlingi nullsoqve Augustino hierarchia in Svecia stabilienda et consummanda gavisa est. Papa, cum nimis sibi deesse viderentur clerici, opportunitatibus rerum licet adjuti, cumqve obsurdescerent, nec ea, qvæ monebantur, audirent. Guillelmum negotiis Norvegicis perfunctum in Sveciam ire jussit Svecisqve legatum sedis apostolicæ commendavit *c*), eo tempore, qvo Erico Blæso, qvem Honorius III a. 1225 in fidem et tutelam receperat *d*), cum factionibus intestinis etiamnum erat luctandum. Rebus tam secundis qvam strenue se gesserit Guillelmus, qvamqve bene cesserint negotia, seqvens narratio docebit.

Schenningiam, urbem Ostrogothiæ illis temporibus primariam *e*), ubi per totam fe-

---

b) Dalin Gesch. II. p. 150. Baaz. invent. eccles. Sveog. p. 121.

c) Suhm Hist. X. p. 73.

d) Dalin l. c.

e) In ea urbe vigebat tum conventus Dominicanorum inclytus cum studio generali, cujus antistes ea ætate clarissimus laudatur Pe----

re legationem hanc commorabatur, Guillelmus a. 1247 jam pervenerat; exstant nimirum litteræ non. Decembr. a. 1247 Schemningiæ datæ, qvibus indulgentiæ viginti dierum illis conceduntur, qvi concionibus confessionibusqve Dominicanorum assidue interessent *f*). Prædicatores decennio post ordinem conditum tantum non elapso in septemtrionem serpserant *g*). Plures fuerunt causæ, cur iste ordo in hierarchia papali promovenda tanti haberetur, inter qvas ultimo loco non nominandum ipsum paupertatis votum et odium, qvo propter læsa antistitum monachorumqve jura prædicatores initio premebantur. Privilegium illud confessiones ubicunqve audiendi, qvo fratrum opes Gregorius IX magnopere auxerat, Innocentius IV a. 1244 in Svecia iisdem permisit unacum usu altarium portatilium *h*).

de Dacia cfr. Tuneld Geogr. öfwer Swerr. II. p. 55. Johann Müller allgem. Geschicht. II. p. 296. Pontoppidani Vestig. Dan. extra Dan. p. 381.

f) Bullar. Celsii p. 69 nr. 12.

g) Pontopp. annal. I. p. 635.

h) Bullar. Celsii p. 68 nr. 4. cfr. Glossar. Du Fresne sub voc. altare.

Sicuti novo cuiqve instituto, tali præsertim, qvalis ordo prædicatorum, qvi operam et pretium sacerdotum coram plebe haud parum imminuebat, adminiculis profecto ac stabilimine opus erat. Qvam ad rem suppeditandam Guillelmus eo procliviori et liberaliori animo ferebatur, qvod in illustri conventu Dominicanorum Schenningensium versabatur. Mirum omnino non Guillelmum nostrum, militem Christi acerrimum, *Militiam Jesu Christi*, cui S. Dominicus nomen dederat, adamasse †).

Legatus, in indulgentiis spargendis, ubi sacrum aliqvod institutum juvandum esset, omnino non parcus, *carenam i*) iis largitus est, qvi festo assumtionis b. Mariæ seqventibusqve diebus sex nec non die dedicationis templi ædem S. Mariæ Sichtunensem visum irent *k*). His enim diebus nemo templum adiit, qvin

---

†) Cfr. hujus comment. p. 10. Henke Kirchengesch. (ed. 4) II. p. 288.

i) ɔ: Indulgentias qvadraginta dierum v. Glossar. Du Fresn.

k) D. Non. Dec. a. 1247 Celsii bullar. p. 69 nr. 11.

larga dona conferret †). Eodem modo liberaliter donantes indulgentiis ornans compluribus cœnobiis subvenire cogitavit l). Decreto (d. XIII cal. Jan. a. 1247) ædi metropolitanæ Lincopiensi amplificandæ decimam largitus est partem decimarum qvartæ, qvæ ad templa dioeceseos reparanda impendi solebat m). Nec qvisqvam utiqve meliori cum fructu qvam Laurentius, qvi tum dioecesi Lincopiensi præerat n), legato præsenti usus est.

Celsius o) præterea multitudinem nobis prodidit litterarum Guillelmi Sab., qvibus hæreditates confirmantur et privilegia, decimæqve et dona v. c. copia librorum, qvos Thomas, episcopus Aboæ, bibliothecæ Dominicanorum Sichtunensium dono dederat. Qvæ omnia diem concilio Schenningensi superiorem habent adscriptum, docentqve, qvam

---

†) Henke II. p. 28. "Tandem clara dies Reginæ assumptio cælis Regiparentis ades!"

l) Bullar. Celsii p. 70-73.

m) Rhytzelii episcoposcop. I. p. 96 cfr. dissert. nostræ p. 130 sq.

n) Benzelii monum. eccles. p. 119 cfr. Dalin II. p. 119.

o) Bullar. Sveog. p. 69.

late qvin ad res minutissimas extenderetur potestas legatorum sedis apostolicæ.

Guillelmus post multas transactiones eo tandem rem perduxit, ut factiones adversariæ, qvibus respublica Sveciæ laborabat, cum rege in gratiam ultro redirent; ut ex iis verbis, qvibus constitutionibus Schenningensibus præfatur, videre licet. Qvo facto animum advertit ad rem ecclesiasticam in melius emendandam, ubi mente hierarchica haud modice imbutus regnum "*mirabiliter* et *miserabiliter conturbatum esse*" exclamavit. Qvocirca synodum celeberrimam illam Schenningiam convocavit.

Rex ipse, teste Johanne Magno *p*), huic concilio non interfuit, sed ejusdem loco dux, "per qvem, ut verbis utar ipsius Guillelmi, fere tota illa terra regeretur," qvemqve pleriqve Birgerum dicunt *q*). Cum duce convenerunt magna cohors legiferorum et procerum. A

---

p) Histor. Sveog. l. XIX c. 15.

q) At Lagerbring (Swea. R. Hist. II. p. 355) dubius hæret, nonne potius intelligendus sit Ulfius Dux, qvi auctore Sturlonida nondum decessisset.

partibus cleri præsto fuere Jarlerius, archiepiscopus Upsaliensis, qvi ab anno 1234 ecclesiæ Svecicæ præfectus erat *r*), simul cum qvinqve suffraganeis ejusdem. Certum est qvidem archiepiscopum Lundensem a synodo Schenningensi abfuisse, sed ad primatum Lundensem, qvem præsul ille in Svecia semper sibi vindicare vellet, justum respectum habitum esse æqve in confesso est, siqvidem ipsi per litteras papales a. 1250 mandatum, ut statuta concilii Schenningensis exeqvenda curaret, ac in aliter sentientes refractariosqve animadverteret *s*).

Anteqvam ad acta concilii Schenningensis commemoranda accessero, brevibus observandum duco, qvam diversi sint auctores in constituendo nomine et tempore synodi nationalis, qvæ in septemtrione catholico facile celeberrima est. Messenius *t*) nonnullos monet narrare, Guillelmum Sabinum Sveciam pe-

r) Benzelii monum. eccles. S. p. 38.

s) Neumann hist. primatus Lundensis p. 101. Offo (Uffo), prædecessor Jacobi Erlandi, tum pallio archiep. Lund. ornatus erat.

t) Scond. illustr. XIII. p. 69.

tiisse a. 1226, a. alios 1240, alios a. 1242, alios deniqve a. 1248 vel 1250 vel 1262. Ipse ad a. 1248 accedit, qvamqvam aliis locis concilium ad a. 1240 referre videtur *u*). Baazius *v*) etiam, Spegelius *x*) et Loccenius *y*) synodum Schenningensem a. 1240 habitam esse auctoritate sua tuentur. Qvem in errorem incurrit qvoqve Finnus Johannæus noster *z*), qvi concilium nominat Schettingense et Guillelmum Sab. ex Norvegia in curiam reversum esse affirmat. Raynaldus *aa*) præterea, scriptor alias accuratissimus, a veritate eo digreditur, ut ex Olao Magno hunc locum allegare non recuset: "deniqve *hoc tempore* (a. 1235 nimirum) episcopus *Sabinensis* in *Danorum* regiones ad obsoletos christianorum mores emendandos a *Gregorio* legatus missus

u) Scond. ill. XII. p. 117; chron. ep. p. 165.

v) Inventar. eccles. Sveog. p. 144.

x) Kyrkiohist. II. p. 92.

y) Histor. rer. Svec. p. 87.

z) Hist. eccles. Island. I. p. 233.

aa) Annal eccles. (ed. Lucæ 1747) II. p. 126. Melius sibi constat Harduinus: Concil. VII. p. 423.

est, ac synodus *Scherungensis* celebrata.“ Eo autem loco, qvo synodus proprie erat collocanda a Raynaldo prætermittitur, qvamvis de periculo, qvo legatus electionem episcoporum a rege ad capitula transferre sustinuit, suo loco fit mentio *bb*). Observandum qvippe Raynaldum regesto epistolarum papalium maxime usum esse, sed in confirmatione statuti de canonicis, qvam edidit Innocentius IV, synodum Schenningensem non commemorari. Inde qvod auctores in tempore hujus concilii constituendo inter annum 1240 et a. 1248 maxime fluctuant, intelligitur, qvi Guillelmum a. 1240 cælibatum ecclesiasticum in Svecia instituisse Hvitfeldius, ut supra monuimus, perperam tradere potuerit, et tamen de synodo Schenningensi mentionem injicere. Itaqve in historia errores nascuntur crescunt, propagantur, nisi face critices accuratioris res gestæ in divum rapiuntur!

Ineunte mense Martio a. 1248 notæ illæ constitutiones Schenningenses, qvæ jam exponentur, promulgatæ suut *cc*).

bb) ibid. p. 431.

cc) Vid. Celsii bullar. p. 70. Acta synodi, ut

Cælibatum ecclesiasticum, qvi enatus ex ingenio sæculi pietate severa insignis consiliis imperii immoderati serviverat perinde ac sexcentæ superstitiones aliæ, pontifices clero invito et recusanti obtrudere jam dudum conabantur. E tribus regnis aqvilonis in Svecia minime ex votis rem gesserant. Pericula, qvæ a. 1121 jam et 1140 facta sunt *dd*), in irritum adeo ceciderunt, ut Guillelmus sacerdotum plurimos sacerdotibus natos esse vel cum uxoribus vel cum pellicibus consvetudinem junxisse reperiret. Qvin Valerius, ipse archiepiscopus Upsaliæ († 1219), filius fuit sa-

---

alios taceam, apud Münterum (Mag. I. p. 192 sqq.) exstant. Vir de historia ecclesiastica Scandinaviæ meritissimus, etsi expositionem hujus concilii succinctam, sed argumentosam nobis tradidit; attamen legationes Guillelmi ad finem perseqvuturus et observationes aliqvot uberiores historiæ concilii celeberrimi additurum me sperans, acta qvasi agere non nolui. Georgii dissertatio de concilio Schenningensi (Upsaliæ 1761) brevitate et jejunitate nimis laborat.

dd) Münter Mag. I. p. 184.

cerdotis *ee*). Cujus contumaciæ causam Andreas Sunonis, archiepiscopus Lundensis atqve primas Sveciæ, per litteras ad Innocentium III missas hanc affert: "qvod nulla ecclesia in mundi partibus constituta tantum propter insolentiam populi jugo servitutis subjaceat" *ff*). Nescio an his verbis Andreæ loco interpretamenti subjungere liceat et allegare tumultus rusticorum Scanensium *gg*), qvi a. 1186 enixe postularent, ut sacerdotes missis edictis pontificum matrimonia inirent. Cælibatum autem inter ecclesiasticos usu venire ad hierarchiam stabiliendam tanti momenti habebatur, ut primum Guillelmi et præcipuum decretum in concilio Schenningensi ad institutum hocce præcipiendum pertineret, qvantumvis ecclesiastici reniterentur *hh*). Ipsa Guillelmi vox præ se fert, cur pontifices legem cælibatus necessario injungendam cen-

---

ee) Rühs Gesch. Schwed. I. p. 170; cfr. Lagerbring. II. p. 423.

ff) Münter von Cælibat u. Priesterehe in Nord. Beiträge zur Kircheng. p. 34.

gg) Pontoppid. annal. I. p. 465.

hh) Baaz. invent. eccles. S. p. 135.

serent. Queritur nimirum, "qvod sacerdotes uxoribus juncti nullam curam haberent animarum.„ Ista videlicet causa subdita, qvod vincula temporalia a negotiis spiritualibus justo plus abstraherent, sed vera, qvod eo factum est, ut ecclesia sui juris nulloqve dominio sive interno sive externo non exemta Christo soli nuberet vel ejusdem vicario, pontifici Romano. Alterum vero consilium, cur papa clericos cælibes esse vellet, non tam ad rationes, qvæ inter rempublicam atqve ecclesiam pontificiam intercedere debebant, qvam ad sortem ipsius cleri spectabat; qvo nempe bona ecclesiæ in unum congesta manerent. Id qvod Guillelmus ipse indicat arguens, qvod liberi et propinqvi sacerdotum hæreditatem acciperent. Unde difficultates iterum in vitam cælibem colendam reciderunt, cum dictitarent sacerdotes contumaces, bonis ecclesiæ sic dissipatis sine societate et auxilio conjugum sese perstare non posse. Olaus Petri, qvi clericorum primus tempore reformationis in Svecia ducebat uxorem, cum ea de causa ab Johanne Braschio coram rege deferretur, Braschius hanc inprimis jecit causam, qvod,

si Olao in posterum liberi gignerentur, incertum foret, qvomodo bona relicta disponerentur, nec detrimenta caperet ecclesia.

1. Guillelmus Sab. igitur in consessu patrum eo rem perduxit, ut uxores et pellices sacerdotum anathemate percellerentur, nisi intra spatium anni a maritis discederent suasqve res sibi haberent. Est vero notandum inprimis mulieres maxime reas judicari, ecclesiasticos autem non nisi criminis socios. Ita in Anglia qvoqve concubinæ clericorum pænas dederunt publicæ sepulturæ expertes *ii*). Guillelmus enim mulieres sic facillime a matrimoniis cum clero jungendis deterreri nullus dubitavit. Attamen sacerdotes qvinqvaginta annos natos mulieresqve permittenti episcopo conjunctos manere passus est, dummodo sub eodem tecto simul non dormirent. Sed postmodum clericis obstinate resistentibus pænam excommunicationis jacturamqve munerum et privilegiorum a Guillelmo intentatam esse *kk*) et decreto huic Schenningensi

---

ii) Matthæi Paris. hist. maj. p. 124 ad a. 1225; p. 305 ad a. 1237.

kk) Johan. Magni hist. Sveog. l. XIX. c. 15.

adjunctam, inde constat omnino, qvod a. 1252, cum sepulcrum Guillelmum jam haberet, Innocentius IV episcopo Lincopiensi veniam dedit de clericis concubinariis dispensandi et statuto domini Sabini ligatos absolvendi *ll*). Qvin etiam archiepiscopus Upsaliensis iis, qvas nimia Guillelmi severitas excitaverat, turbis commotus a. 1258 ab Alexandro IV impetravit, ut ecclesiasticos concubinarios, qvi essent excommunicandi, liberare sibi liceret, ea tamen conditione, ut munera ecclesiastica retinentes poenitentiam convenientem agerent, dum pellices repudiare nec iterum reducere fidem darent *mm*). Qvam mitigationem Guido legatus sedis apostolicæ a. 1266 redintegravit *nn*). Comminationes autem Guillelmi supra dictas post concilium Schenningense conseqvutas esse nobis persvasum est e decreto XV ejusdem concilii, ubi dioecesanis absolvere permittitur, si qvis in excommunicationes et interdicta concilii incurreret. Qvod si juxta statuta Schenningen-

ll) Celsii bullar. p. 75.
mm) ibid. p. 78.
nn) ibid. p. 83. cfr. Lagerbring. II. p. 736.

sia ipsa excommunicatione percellerentur qvoqve sacerdotes concubinarii, qvid erat, cur archiepiscopus Upsaliæ et episcopus Lincopiæ veniam absolvendi a pontifice peterent.

Tantum licet detraheretur severitati illius decreti Guilhelmi, qvod, ut hoc utar, multum abhorrebat a mandato Gregorii IX, qvo sacerdotibus Norvegicis in futurum matrimoniis interdictum erat, verum illis non, qvi hactenus duxerant *oo*); facile tamen ad intelligendum clericos nihilominus conjugium sive concubinatum manifestum in occultum deterioremqve duntaxat esse mutaturos. Scortationi nimirum erat venia, dummodo nulli agnoscerentur hæredes necessarii, qvos legitimæ nuptiæ demonstrarent *pp*). Qvare Guillelmus Sab. decimo decreto synodali cavit, ne qvis clericorum filium agnosceret intra annum nasciturum, "cum ille demum debeat recognosci; secundum qvod jura dicunt, qvem legitimæ demonstrent nuptiæ." Decreta, qvæ seqvuntur eundem redolent sensum.

oo) Pontopp. ann. I. p. 504.

pp) J. Wilde hist. pragmat. p. 370.

2. Guillelmus distingvit inter eas facultates, qvæ ex hæreditatibus donisqve et aliis viis sacerdoti privatim accreverant, atqve bona ipsius ecclesiæ; qvorum illas testamento cuilibet legare possessori liceret †), hæc vero in detrimentum ecclesiæ ullo modo emanciperi neqvirent. Sin autem sacerdos intestatus obiret, liberos ante natos aut intra exitum anni nascituros cognatosqve ab hæreditate accipienda haud esse prohibendos Guillelmus certe qvidem ratus est, sed mortaliter peccare, furtumqve et rapinam committere, qvod Deo non posset non displicere, qvicunqve ex relictis sacerdotum bonis aliqvid usurparent. Liberos etiam, qvi post spatium ab ipso constitutum ederentur, si hæreditatem patris ecclesiastici adirent, excommunicari jussit. Privilegium hæredes in testamento scribendi, qvod clerus interea retinuerat, synodo Sudercopiensi a. 1441 denuo sancitum fertur qq). Cæterum fructus edicti Guillelmi attendant fortasse conferentes legg. W. Goth.

†) Bona hæreditaria monasteriis potissimum relinqvi voluit. Celsii bullar. p. 73. nr. 24.

qq) Baaz. invent. eccles. Sveog. p. 135; cfr. p. 125.

jur. eccles. c. 29, jur. hæred. c. 14 cum legg. O. Gothicis de vendit. pecul. c. 20.

3. Durissimæ cum essent leges, qvas clericis ponebat Guillelmus, necesse quidem, ut ab altera parte iisdem objicerentur illecebræ, qvibus in oblivionem adducerentur humanitatis ac conditionis, qvam natura alta voce flagitat. Unde factum, ut ii, qvi seqvuntur, canones hoc modo conscripti sint, ut, dum gravibus ecclesiæ vitiis medeantur, speciem præ se ferant, tanqvam clero Sveciæ inferiori, dummodo vincula civilia qvævis plane frangi pateretur, commoda damnis æqva conciliarent. Guillelmus itaqve qvarto decreto synodali defixit anathemate, qvicunqve corporibus et bonis clericorum ("qvotqvot nimirum absqve uxoribus et pellicibus publicis seu cohabitantibus voluerint permanere„) atqve fratrum prædicatorum vim inferrent, exceptis tamen (qvod mireris!) rege ac duce. Interpretatio, qvam Georgius huic loco subjicit, respiciens ad jus hospitalitatis clero hisce temporibus molestissimæ mihi qvidem valde dura

et coacta videtur rr). Rerum ordinem, qvalis tum erat in Svecia, solummodo cogitare opus est, qvo necessitas edicti hujusmodi intelligatur. Leges qvippe mancæ per se et imperfectæ propter jus fortioris, qvod inter motus civiles nimis invaluerat, vi necessaria destitutæ erant. Nec mirum omnino Sveciæ populum tot tantaque privilegia a regibus, Svercheridis nominatim, clero concessa moleste tulisse et eripere studuisse. Quocirca Innocentius III a. 1216 jam regi Sveciæ scripserat, "ut vexatores libertatis ecclesiasticæ in viros ecclesiasticos damnabilem insolentiam exercentes, cum domos eorum incendant, et tam in personis qvam in rebus molestent graviter et affligant, non tam spirituali qvam materiali gladio coerceret„ ss). Qvod contra ecclesiæ invasores Guillelmus decreverat et Alexander IV confirmarat a 1259, Guido, legatus sedis apostolicæ, archiepiscopo Upsaliensi et episcopo Lincopiensi post a. 1266 remittendum mandavit tt).

rr) Georgii dissertat. de concilio Schen. p. 18.
ss) J. Wilde hist. pragm. p. 356 sq.
tt) Celsii bull. p. 80 & 83 cfr. Messenii Scond. ill. II. p. 39 & 43. XII. p. 118.

4. Canonum Schenningensium qvintus, sextus et septimus eodem redeunt, qvo de constitutionibus Bergensibus una, qva episcopi ecclesiam avarius visitantes notantur et cohibentur, uti antea factum erat in regionibus transfretanis *uu*). Vetuit Guillelmus, ne præsules ecclesias dioeceseos inspectum euntes qvicqvam exigerent præter solam procurationem *vv*); qvæ qvidem legibus constitueretur necesse *xx*). Procurationem vero in summam

uu) V. c. Cypræi annal. episcop. Slesvicens. II. c. 3.

vv) I. e. viaticum visitantis; vid. Du Fresn. sub voc. c.

xx) Exemplum afferre liceat ex historia terræ propinqvæ. Innocentius III hæc scribit: "Qverelam accepimus, qvod, cum olim archidiaconus Richmondiæ parochiam suam visitationis gratia circumiret, cum centum eqvis minus tribus, viginti canibus et uno, tribus avibus venatoriis ad qvandam ecclesiam accedens tantum domum istam sumptu immoderato gravaret, qvod hora brevi dicitur consumsisse, qvod toti familiæ longo tempore suffecisset. Nos igitur cohibentes, ne qvis vestrum de cætero, cum parochiam suam visitet, in procurationum exaltatione seu modis aliis, præterqvam Lateranensis concilii statuta permittunt, ecclesias seu clericos gra-

pecuniæ converti permissum. Inhibuit præterea marescalcum, senescalcum, et qvi erant cæteri episcoporum ministri, ne qvid præter sola victualia ad procurationem pertinentia acciperent, constituitque, qvos atqve qvot comites episcopo fas esset secum trahere, atqve qvanti in singulis locis procurationem redimere sacerdoti liceret. Qvod ut exacte præstituerent legatus, vita cælebs, qvam sacerdotes in posterum inituri erant, variis rationibus forte svasit.

Si qvando in ecclesia parochiali episcopus missam audiret aut celebraret, Guillelmus edixit, ut capellano veniret, qviçqvid episcopus ipse comitesve afferrent, sacerdoti autem, qvicqvid parochiani tribuerent. Sacerdotibus præterea cavit, ne reditus ipsis imminuerentur, præcipiens ut, si episcopus ecclesiam interdicto percelleret, indeqve mulctas auferret piaculares, sacerdoti reparandum esset damnum, qvo in reditibus suis afficeretur (decret. VIII.)

---

vare præsumat;„ v. Monast. Angl. II. p. 165. cfr. Finni Joh. hist. eccl. Isl. I. p. 234 not. b.

5. Constitutiones, qvæ seqvuntur XI-XVI, propius ad episcopos ipsos spectant.

Guillelmus supplicium excommunicationis semper minitatus interdixit episcopis, ne qvem clericum facerent exactorem suum *yy*); sed exactores e laicis eligendi fide data manuqve in sanctum evangelium imposita obstringerentur, ut bona fide sine ulla fraude munus obirent, viderentqve, ne, siqvidem laici essent, in causis matrimonialibus cæterisque, qvæ ad forum ecclesiasticum pertinerent, judicia ferre auderent.

In procurationibus sibimetipsi tribuendis ita rem ordinavit, ut episcopi e thesauris suis tertiam partem erogarent, ecclesiæ vero, prouti cuiqve facultates suppeterent, duas procurationum partes simul penderent. Nec in Svecia igitur Guillelmus sibi defuit, qvin rebus suis consuleret. Ægre alias intelligitur, qvid sibi velit decretum istud minutum inter res tanti momenti in consessu patrum sacro transacta.

---

yy) Qvod vocabulum sensu multo latiori venit, qvam solitum vid. glossar. du Fresne sub voc. exactor.

Inter statuta concilii Schenningensis gravissima decimum tertium æstimandum est, qvo archiepiscopo ejusdemque suffraganeis injungitur, ut intra annum sibi compararent librum decretalium, qvalem Gregorius IX edendum curasset, ac diligenter perlegerent. Qvod si negligerent, pæna interdicti maneret ipsos. Gregorius IX enim per Raymundum de Pennaforti decretum Gratiani compilari et emendationibus accessionibusqve augeri jusserat; cui editioni Innocentius IV additamenta qvædam annectebat zz). In Svecia uti fieri assolet, instituta vetera residebant, nec erat, cur exolescerent novisqve cederent, nisi externa vis et auctoritas urgeret. Cum decretalium maxime esset res ecclesiasticas in ordinem et concordiam redigere, cumque summam pontificis auctoritatem judicialem divinitus profectam ostentarent, Guilhelmi Sabini plurimum retulit, ut manibus tererentur et cordi subjicerentur. At non solum potestas legati, pænaque ecclesiæ et propria commoda

zz) Pertsch. Histor. des canonisch. Rechts p. 268-307; cfr. Cialcconii gesta pontif. et card. p. 557.

eo rem perduxerunt, ut episcopi decretales Gregorianos amplecterentur, sed etiam respectus, qvem in statutis synodi Schenningensis componendis ad eosdem expresse habitum Münterus exemplis collatis probavit *aaa*), effecit omnino, ut episcopi diligentius qvam ante juri canonico vacarent. Attamen nos non præterit, Guillelmum decretales hosce jubere non adeo ausum esse, sed episcoporum supellectili tantummodo obtrusisse. Re vera factum est, ut jus canonicum post concilium Schenningense in Svecia constitueretur *bbb*).

Ne bona ecclesiæ dissiparentur et imminuerentur veritus episcopus Sabinus in corona patrum ultimo loco interdixit, ne archiepiscopus et suffraganei decimas ecclesiæ parochialis laico concederent, minisqve excommunicationis et muneris adimendi sancivit *ccc*).

Hæc erat historia concilii celeberrimi brevibus enarrata, cujus acta Guillelmus per

aaa) Magaz. I. p. 191.

bbb) Lagerbring. II. p. 758.

ccc) Eodem modo Arcemboldus, famosus ille legatus sed. ap, in comitiis Arbogensibus vetuit, ne laici ad decimas ecclesiasticorum accederent v. Münter Mag. I. p. 309.

archiepiscopum Upsaliensem cæterosqve episcopos qvotannis promulgari jussit.

10.

Constitutiones Schenningenses tantum qvod in vulgus erant editæ, cum jam exercitæ videntur. D. VI non. Mart. a. 1248 Guillelmus Sab. episcopo Lincopiensi adjudicavit villam Liungby, qvam Abrahamus Boetii injuste invasisset et retinuisset *a*); terminosqve inter dioecesin Lincopiensem et Wexionensem accuratius constituit *b*). Litteræ Guillelmi de stipe in monachos Novavallenses conferenda datæ in castris regis pridie non. Mart. a. 1248 *c*) in eam opinionem me adducunt, Guillelmum ad regem Sveciæ tum esse profectum, ut inde confirmationem regiam statutorum concilii Schenningensis impetraret.

Jam erit mentio de re, qva Guillelmus munere legati apostolici in Svecia ornatus nullam gesserit clariorem et pontifici exopta-

---

a) Cfr. art. IV. statut. Schenning.
b) Celsii bullar. p. 72 nr. 20.
c) Ibid. nr. 21.

tiorem; qvamqve, cum in manifesto non sit, utrum concilium Schenningense tempore antecesserit necne, ad hunc locum reposui. Episcopis Sveciæ nimirum per populum et clerum electis reges olim dignitatem confirmaverant *annulum* et *baculum* tradendo investientes *d*). Cujusmodi jus investiendi artibus hierarcharum multo ante (a. 1122 per concordatum Wormatiense) imperatori regibusqve abrogatum Alexander III a. 1160 jam notavisse dicitur inter vitia ecclesiæ Svecicæ perniciosa, qvæ ab ætate S. Sigfridi et Eschilli

d) Locum hac in re memoratu dignissimum e legg. W. Gothicis (kon. B. II. fluk.) subjiciam: En Biscup skal takä, tha skal Konnongh all ända ath spyrja, huru the viljä havä. Han skal Bondä sun (ↄ: hominis honoratioris propriiqve fundi possessoris) varä, tha skal Konungr hanum *Staf* (signum senectæ munerisqve pastoritii) i Hand sättje och *Gullfingrini* (signum arcti vinculi, qvo ecclesiæ jungitur episcopus), sidan skal han i Kirkju bidhä och i Biscupstol sättje, tha er fulkommen til walder utan vixli (excepta consecratione).

inde in posteros essent transfusa *e*). Honorius III, per litteras ad Johannem Syercheridam; de jure hoc sibi demto licet conqvestus, *f*) invitus etiam passus est, ut Olaus Basatoemir, archiepiscopus Upsaliensis, († a. 1234) a populo, clero et rege solito modo crearetur *g*). Episcopus Lincopiensis morem pontifici gerendo cæteros episcopos antevertens a. 1232 a Gregorio IX veniam sibi impetraverat canonicos eligendi, confirmationemqve instituti ab Innocentio IV a. 1245 nactus benevolentiam curiæ Romanæ ita captaverat, ut coram papa qvestus, qvod facultates deficerent ad ædem suam metropolitanam exstruendam, litteras acciperet, qvibus cæteri clerici stipe coacta sibi subvenire juberentur *h*).

---

e) Baaz. invent. eccl. S. p. 140. Celsius, (bullar. p. 57) probat Baazium Innocentio III litteras commonitorias ejusdem argumenti ecclesiæ Svecanæ scriptas tribuentem errare.

f) Celsii bull. p. 57.

g) Vastovii vit. aqvil. p. 174.

h) Wilde hist. pragm. p. 364. Georgii dissert. p. 15 not; cfr. supra comment. nostræ p. 110.

Attamen longo temporis spatio intermisso episcopus Lincopiensis decimis melius distributis tum primum eo pervenit, ut canonicos suos, qvi parochos agendo hucusqve ruri degerant, in collegium convocare posset. Eadem ratione sese habuit capitulum Upsaliense, qvod rege Erico Blæso institutum fertur *i*). Rem tamen primum ope Guillelmi Sab. in ordinem et modum canonicum digestum esse jure contenditur. Qvamvis enim ad nostram ætatem non pervenerit decretum, qvo Guillelmus capitula Svecica ordinasse dicitur, superest nihilominus bulla Innocentii IV *k*) confirmatoria d. a. 1250. Unde cernitur, Guillelmum, legatum sedis apostolicæ in partibus Sveciæ, ut pravam hujus terræ consvetudinem inveteratam tolleret ("illam nimirum, qvod ecclesiis cathedralibus non præficerentur, nisi qvos in eis institui vel destitui potius per seculares potestates, potentiam scilicet regis et baronum nec non et ad clamorem populi tumultuantis, contra sacrorum statuta

i) Schefferi Upsal. p. 286.
k) Qvæ apud Münterum (Mag. I. p. 198) typis exscripta legitur.

canonum contingebat.") consulte præcepisse, ut ad unamqvamqve ecclesiam cathedralem, ubi nondum essent capitula instituta, unus haberetur prælatus idoneus et ad minimum qvinqve canonici. Qvod Guillelmi jussum Innocentius IV petente clero Sveciæ hoc modo sanxit: α. ut nullus episcopus nisi in capitulo rite electus censeretur, β. reditusqve episcopi successuri incolumes servarentur, γ. neqve "præsules juramento homagii vel fidelitatis sæcularibus personis obstringi se paterentur, cum regi et baronibus pro regalium et feudorum receptione nullatenus sint obnoxii." Id qvod, ut facile patet, regibus perqvam invitis effectum est *l*). Olim qvippe principes annulo et baculo rite traditis episcopos vasallos nuncuparunt ac beneficiarios. Obstaculis civilibus sic demum remotis moles hierarchica in media republica alta stare cæpit, eidemqve ruinam minari.

Ericus rex et Jarlerius archiepiscopus Upsaliæ constitutiones exseqvuturi hoc Guillelmi mandatum etiam perficere tentarunt collegium

---

l) Cfr. statuta concilii Othiniensis qvinqvennio ante. Pontoppid. ann. I. p. 657 sq.

canonicorum Upsaliensium justiori ordine instituentes *m*), ut canonici large liberaliterqve donati ad ædem metropolitanam simul agerent. Præpositura, archidiaconatus tresqve canonicatus cura regis et archiepiscopi sunt conditi *n*). Qvi numerus tamen, cum edicto Guillelmiano plane consentaneus non esset, postmodum auctus est *o*). Res autem aliis in locis, ubi ad canonicatus instituendos donandosqve opes non suppeditarent, difficilius perfecta videtur, qvippe cum Alexander IV a. 1258 archiepiscopum Upsaliensem commonefaceret, ut decreto Innocentii IV morem gereret *p*). Qvemadmodum alibi, ita inter Svecos capitula occasione, cum vacarent episcopatus, uti callebant, qvo ab episcopo sufficiendo privilegia sua et commoda confirmata et aucta obtinerent. Itaqve factum, ut cononici potestate, opibus,

m) Benzelii monum. p. 38 & 198 sqq. cfr. Wilde hist. pr. p. 300 sqq. "Collegium canonicorum sæcularium institutum; olim fuit monachorum„ Chron. archiep. Upsal. ed. Scheffferus p. 19.

n) Messenii Scond. ill. II. 35.

o) Schefferi Upsal. p. 286.

p) Celsii bullar. p. 78.

sed luxuria qvoqve in dies crescerent *q*). Neqve mirum adeo pontificem et Guillelmum huic rei, qvæ in civitate ecclesiastica construenda fundamentum putaretur gravissimnm, tantam dedisse operam, sed difficilius foret intellectu, qvidni vulgus neqve rex ipse ab instituto sibi tam molesto magis abhorrerent et reniterentur, nisi juste observaretur, qvantopere internus regni status consiliis papæ et Guillelmi conveniret.

Sunt, qvi dicant superstitionem et usum ordaliorum per Guillelmum Sabinum in Sveeia sublatum esse *r*). Cujus rei indicia eqvidem nulla repperi, certius vero in legibus W. Gothicis et Helsingicis qvin ad ætatem Birgeri ducis usqve vestigia ordaliorum exstare, licet Alexander III jam pridem a. 1163 probationes per ferrum candens, aqvam ferventem et duellum in ea regione abrogatas voluisset *s*).

---

q) Exempla apud Wildium (hist. pragm. p. 372 sqq.) exstant. De capitulationibus cfr. Henke Kirchengesch. II. p. 160.

r) Stiernhöek de jure Sveog. vet. p. 95 & 127.

s) Finni Joh. hist. eccl. Island. I. p. 180 not. Celsii bull. p. 40 nr. 13 & not. Fors

Si vel crediderimus studium, qvod Guillelmus gestationi ferri in Norvegia abolendæ impenderit, auctori supra commemorato eam subjecisse opinionem, qvod legatus idem inter Svecos eodem modo in superstitionem grassatus sit; non est tamen negandum consvetudinem illam qvodammodo saltem ope Guillelmi antiqvatam esse. Namqve res Seciæ turbatas multis nominibus restituit ille composuitqve, et incolis jus canonicum pro virili parte commendavit. Itaqve sensim ordalia de foro recederent, necesse, qvoniam multo æqvius et tutius refugeretur ad sententiam legum ecclesiasticarum, in qvibus judicium Dei cum humanitate proficienti convenientius audiretur. Qvis demum infitias iverit hierarchiam ad fæda superstitionis vincula frangenda multam vim habuisse?

Nunc in eo sumus, ut novissima Guillelmi vestigia indagemus, non tam rei ipsius causa qvam eo consilio, ut nobis constet, qvan-

etiam similia Guillelmi conamina in ferro candenti et duello inter Livones abolendis (Gadebusch. I. I p. 189 not.) ad opinionem hanc adduxerunt.

do Sveciam reliqverit. Mense Junio a. 1248 Guillelmus in Gothlandia, ubi, qvæ olim de ecclesia S. Jacobi Wisbyensi constituerat, litteris denuo confirmavit t). Controversias super eadem causa in rem episcopi Lincopiensis (Livoniensis?) dijudicatas esse magnamqve legatum operam dedisse, ut mores ecclesiasticorum in insula emendaret, Messenius auctor est u). Novissimum monumentum Guillelmi, qvod nostram tulit ætatem, litteræ sunt VI cal. Aug. a. 1248 datæ, qvibus indulgentiis impertiuntur, qvicunqve nosocomio leprosorum Lundensi donis subvenirent v). Sed postea de Guillelmo plane silent res Svecicæ, nobisqve silentium persvadet eum non ita multo post discessisse, ut in Germaniam redux sollemnibus inaugurationis Guillelmi comitis Hollandiæ nov. 1248 Aqvisgrani peragendis

---

t) Wallin Gothl. Saml. p. 242. Litteræ Guillelmi reperiuntur in Diplom. Langeb. mss. cfr. comm. nostræ p. 20.

u) Messenii Scond. ill. II. p. 35.

v) Habetur hujus epist. vidimus in diplom. Langeb. mss. cfr. Bring Handling. III. p. 200.

interesset, uti supra jam temporum rationem constituendam esse arbitrati sumus.

Reliqvum est, ut res a Guillelmo card. Sab. in Svecia gestas paucis recolamus et consideremus. Si qvod in vita legationibusqve viri momentum est; qvod dexteritatem ejus et prudentiam et constantiam in rebus hierarchiæ promovendis eximie prædicet, laudentur profecto facinora, qvibus in Svecia cluebat. Qvot impedimenta viro amovenda, cum cælibatum naturæ perinde ac priscis reipublicæ moribus contrarium clericis injuncturus esset? qvanto discrimini obviam eundum ab ipsis, qvorum auxilio fretus erigi debuisset? Nihilominus colla pertinacia jugo duro submissa sunt; qvin res præter exspectationem Guillelmo tam bene cessit, ut pontifices omnino necessarium ducerent, onus sublevare, qvod minister suus fidissimus durius imposuisset. Guillelmus callidissime utiqve sese gerebat, tempori hominibusqve inserviens, præsentem rerum statum in rem suam convertens. Qva in re multum differebat a compluribus legatis sedis apostolicæ, qvi dictatura, qvam a rerum dominis acceperant, freti

ac elati imperia et iras principum eludere auderent. Ille vero circumibat prensabatqve reges, qvos prudentia, strenua opera maximisqve officiis ad amicitiam adjungere vellet. Auctoritatem ergo pontificiam cum potestate regia concilians et jungens non poterat, qvin clero, insolentiori nimirum, dominum sese præberet spiritusqve nimios frangeret, si qvando contra commoda tam reipublicæ qvam ecclesiæ contumacius consuleretur. Itaqve factum est, ut splendidam hierarchiæ imaginem, qvalis ineunte sæculo XIII inter tenebras Europæ coruscabat, ob oculos ponens rebus publicis et ecclesiasticis deterere posset, qvicqvid in earundem habitu a forma papalis ecclesiæ per decursum sæculorum factâ discreparet, eandemqve fædaret aut fædare videretur.

Porro si tria commoda palmaria spectaverit, qvæ Guillelmus Sabinus in Svecia papatui conciliabat, *cœlibatum* dico, *jus canonicum* et *capitula*, pauca modo in forma ecclesiæ Svecanæ eum pontifici desideranda reliqvisse qvis neget? Eo enim ferebant consilia hierarchiæ, ut ruptis omnibus vinculis, qvi-

bus cum populo et rege clerus cohæreret, ecclesia a republica revelleretur, arctius autem contraheretur invicem societas ecclesiasticorum et communio qvasi membrorum unius corporis, cujus caput dirigens in Capitolio alta cervice emineret. Deqve Capitolio baculus pastoralis eadem protendendus vi, qva gladius olim, cum ideæ nondum armis præcellerent. Rempublicam vero sic deprimere, ut evaderet solum ministra aut serva potius ecclesiæ unius, sanctæ, apostolicæ et catholicæ, fuit accessio systemati hierarchiæ subjuncta, qvæ qvidem præferoci ore Bonifacii VIII ample et magnifice sonabat x), sed etiam adversa fortuna ejusdem pontificis et infirmitate seqventium meri soni inanes judicabantur. Guilielmus utiqve ratione et usu melius fuit edoctus, qvam ut placita ejusmodi vanissima temere perferre conaretur.

---

x) Vid. Bulla: "Unam sanctam„ (Extrav. comm. l. I. tit VIII c. I. in corp. jur. can. II. p. 1139), qvæ præbet ideam hierarchiæ consummatæ.

II.

Deniqve his litteris mandetur, qvid de annis extremis Guillelmi Sabini nobis constet, viroqve tam illustri justa fiant.

Post labores et discrimina legationum Guillelmus in Galliam sese recepit illud otium, qvod frustra olim aucupatus erat *a*), tum demum seqvuturus; sed brevi post fato cessit amicum, qvo nullus carior, seqvuturus. Inter qvinqve cardinales, qvi papam extorrem comitati in Gallia mortem oppetiverunt *b*), Guillelmus noster referendus etiam. Qvem ante X cal. Jan. a. 1252 vita excessisse litteræ probant Innocentii IV illo die scriptæ, qvibus episcopatus Wykensis et Osiliensis iisdem describuntur finibus, qvi a Guillelmo Sabino *defuncto* constituti erant *c*). E Matthæo Parisio visum adducam psychologis maxime memorandum, qvod sub tempus vitæ supremum cardinali apparuisse fertur. Seni, dum in-

a) Cfr. Mabillon. anal. vet. nov. ed. p. 483.

b) Nicol. de Curbio vit. Innoc. IV. c. 29.

c) Bulla et confirmatoria et executoria e registro Osiliensi in diplom. Langeb. ms. recepta est.

tegra valetudine etiamnum gaudebat, accidit, ut famosus ille card. Otto, Guillelmi amicissimus, paulo ante morte ademtus, ipsi videretur in frequentia manium assidens sodali venienti locum cessisse atqve dixisse, „ne sollicitus esset Guillelmus de hospitio Genuæ habendo *d*), qvia hic secum hospitium mox habiturus esset.“ *e*). Qvod ostentum cum mortem instantem portendere videretur, Guillelmus rebus suis dispositis brevi post e vita migravit.

Sepultus est apud dominicanos Lugdunenses elogio sepulcrali hoc ornatus *f*):

Hic jacet

Zelantissimus prædicator atqve

Laudator nominis Jesu Christi;

Assertor fidei et totius veritatis;

Vir permagnæ sanctitatis et or-

---

d) Tum scilicet mortuo Friderico II Innocentius IV in Italiam redire paravit.

e) Matthæi Paris. hist. maj. (ed. Par.) p. 546; cfr. Raynald. ann. I. p. 606. Ciacconii gesta pont. et card. p. 554.

f) Ughelli Ital. sacr. I. 198.

namentis pietatis, Pater venerabilis, Guillelmus, Sabinus Episcopus Cardinalis!

Est cæterum, qvod mireris scriptores in constituendo tempore, qvo mortuus vir celeberrimus, ita contra veritatem et testimonia historiæ committere posse, ut alter a. 1248 illum e vivis excessisse tradat g), alteri vero nomine Alexandri IV solium Petri conscendisse cum referant h).

---

g) Auctor annalium Island. in Langeb. Script. R. D. III. p. 97.

h) Petri Dusburg. chron. ed. Hartknoch p. 122. Dlugoss. hist. Polon. I. p. 690. Nescio an Jacobus Pantaleo, qvi perinde ac Guillelmus Sabinus in rebus Poloniæ et Borussiæ componendis et moderandis operam collocaverat, a. 1261 pontifex renunciatus (Ciacconii gesta pont. p. 578) et Urbanus IV vocatus errorem huncce creare potuerit.

